MASTER NEGATIVE NO. 91-80050-7

AUTHOR:

ALMS, PAUL

TITLE:

PARERGON OVIDIANORUM...

PLACE:

ROSTOCHII

DATE:

1906

Master Negative #

91-80050-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Alms, Paul, 1883-
Parergon Ovidianorum partes II; dissertatio inauguralis quam... tradidit Paulus Alms... Rostochii, typis H. Winterbergii, 1906.
80 p. 22½ cm.

Thesis, Rostock, 1906.
Bound with Knaack, Georg. Analecta Alexandrino-Romana... 1880.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/20/91 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

m. 2

PARERGON OVIDIANORUM
PARTES II

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI IN ACADEMIA LITTERARUM ROSTOCHIENSI AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

TRADIDIT

PAULUS ALMS

MEGALOPOLITANUS

ROSTOCHII

TYPIS H. WINTERBERGII

MCMVI

VENUM DAT H. WARKENTIEN

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit Otto Kern, prof. ordin.

Examen rigorosum habitum est die I. mens. Mai. anni MCMVI.

Parentibus carissimis
s.

Ovidi metamorphoseis unde haustae sint omnes ad hoc tempus patet haud dilucide. Quarum consentaneum est fabulares cyclos, a quibus narrationes recte discernuntur singulae, mythologicis de encheiridiis prosiluisse. Tamen multa desiderantur. Quos enim in manu habemus, fontes sunt plurimi post Nasonis aetatem orti nec semper satis constat, quanto posterior abalienet a priore fabula. Sed ne ipse quidem favet origines quaerenti Ovidius, qui, cum vellet depingere transfigurationes, compendiis usus sit cum delectu. Praeterea eius cum verba luminaque tum quae ad totius operis compositionem pertinent, conveniunt permulta cum aliis poetis Latinis, praecipue cum Vergilio. Quae si recte se habent, sequitur, ut Nasonis verba a rebus accuratius oporteat dividi stipitibus, ne id quod adhibere solent poetae Augusti, adscribatur libris ignotis.

Quo usum consilio confiteor liquido Persei Cererisque errores tractavisse me nondum posse satis. Tamen spero me aliquid profecisse in iis fabulis, quarum radices altius occultantur quam Thebaicorum Atticorum aliorumque. Ita hic illic, ubi liquores recusabantur, salus petenda erat coniecturis. Quae quibus displicent, spectent benigne certa, quae mihi videor effodisse, nec mihi crimini dent, quod fortuna reddere noluit sinistra.

Pars I.

De Persei fabulis ab Ovidio tractatis.

Ovidi in libris metamorphoseon res Thebaicas uberrimis coloribus depictas (met. II 833 — IV 602 Riese.) sequuntur eae, quae sunt de Perseo, narrationes. Colligatus est a Nasone uterque cyclus fabularum per Acrisium, Persei patrem. Rebus enim Cadmi Liberi Penthei ad umbilicum perductis (met. IV 602) redit poeta contortissime ad Bacchum iam ubique celebratum Cadmi nepotem. Quem ultimus rex Argivorum a Jove ortum nec minus idem Perseum negat natum esse e patre omnipotenti. Quo modo sibi patefacit Ovidius viam ad fabulas de Perseo narrandas.

In quibus cum requiras quae sit poetae mythopoeia, omnibus, puto, qui haud ignorant quae scripserunt Ericus Bethe[1] Gustavus Vollgraff[2] Hermannus Kienzle[3] de Cadmi fabulis, in mentes primo quasi aspectu veniet conicere eodem fere modo, quo Agenoridae, perfecisse Nasonemiam Argolicum cyclum. Et re vera haud paucis demon-

[1]) Quaestiones Diodoreae mythographae. diss. Gott. 1887 pag. 58 sq.

[2]) De Ovidi mythopoeia quaestiones sex. diss. Berol. 1901 pag. 61 sq.

[3]) Ovidius qua ratione compendium mythologicum ad metamorphoseis componendas adhibuerit. diss. Basil. 1903 cap. II.

stratur similitudinibus, quae sunt inter eius et Apollodori Perseia (bibl. II 24—48 Wagner.), *Latinum scriptorem in conscribendis iis compendium inspexisse mythologicum, quod continuerit easdem fere genealogiarum series quas Apollodori quae fertur bibliotheca.*

Sed hoc loco tamen Ovidium eo adiumento aliter usum esse atque in rebus Thebaicis Atticis aliisque exponendis haud difficile est intellectu. Etenim primum Lyncidae narrationes, per quas ipse solus res gerens inducatur omnes, animo tenentur facilius. Nec vero eas fabulas neglegas apud Romanos, quorum vernaculo mytho additae sunt Perseiae res (Verg. A. VII 372. 410 Ribbeck e. a. — cf. Serv. ad VII 372), fuisse notissimas, ut Acrisi Danaae Andromedae Gorgonum mentionem poeta possit breviter facere (cf. met. IV 610. 611. 614. 669—670 (686) etc.). Ita in prioribus suis carminibus haud exiguam narrationum Abantearum praebet cognitionem et ipse Ovidius (am. III 3, 17—18. a. a. I 53. II 643—644. III 429—430. her. XVII 151—154 Riese.).

Quae fabulares res unde scitae sunt omnes? Facile respondetur. Abantei enim generis fata persaepe a poetis ad scenarum actus composita sunt (cf. K. Wernicke in lex. real. Paul.-Wissow. s. v. Andromeda.), sed nulla clarior nec notior videtur fuisse fabula eiusdem argumenti quam Andromeda Euripidea (cf. imprimis C. Robert archaeol. Zeitg. 36 (1879) pag. 16 sq.), quae poetae aequalibus valde notabilis videbatur (cf. Aristoph. Thesm. 1010 sq. et Ran. 52 sq. Bergk. — E. Bethe archaeol. Jahrb. XI (1896) pag. 296), qua Graeci aevi multo posterioris graviter affecti sunt (Lucian. de conscr. hist. 1. Fr. Athen. XII 537d K.), quaque spectatorum animi

vehementissime moti sunt etiam duabus fere aetatibus post Ovidi tempora. (Eunap. frg. 54 F. H. G. IV pag. 38).

Nec solum tam diu idem drama apud veteres fama gratiaque utebatur, verum nec poetae neque imaginum artifices, qui postea idem argumentum tractaverunt, integram reliquerunt eam tragoediam, quae τῶν καλλίστων Εὐριπίδου δραμάτων (schol. ad Aristoph. Ran. 53) videbatur esse. Cuius ex exemplo ipsius fictae sunt multae imagines, e quibus nonnullas habemus.[4] Euripidem vero imitatus Ennius fecisse videtur suam Andromedam (cf. J. Vahlen: Ennianae poesis reliquiae[2]. Lps. 1903 pag. CCIII — CCIV; pag. 135 — 138). Ac plures procul dubio tales imitatores invenirentur, si fortuna plures testes dedisset.[5] Sed et iis, quos dedit, satis demonstratur eam Graecam fabulam et ante Ovidi et post tempora famosissimam existimatam esse ac nobilissimam. Qua de re verisimile conicitur Nasonem linguae doctum utriusque, cuius carmina aliis locis praebent Euripidea[6] haud ita raro, eam cognovisse et in hoc fabulari cyclo perficiendo adhibuisse aliquo modo.

---

[4]) Cf. Robert l. c. pag. 13—24. Bethe l. c. pag. 292—300. W. Helbig, Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens, Leipzig 1868 Nr. 1183—1186. J. H. Huddilston, Greek Tragedy in the light of vase paintings, London 1898 pag. 180.

[5]) Andromedae fragmenta collegit A. Nauck: Euripidis perditarum tragoediarum fragmenta[2]: Lps. 1902 pag. 25—36. — De Euripide apud Romanos cf. Th. Mommsen R. G.[9] I 910 sq.

[6]) De Euripidis vestigiis in epistolis amatoriis patentibus cf. Schanz: Gesch. der röm. Litteratur II 1,[2] 1899 pag. 207, in metamorphosesin praecipue: G. Plaehn: De Nicandro aliisque poetis Graecis ab Ovidio in metamorphosibus conscribendis adhibitis. diss. Hal. 1882. Kienzle l. c. cap. II. Schanz l. c. pag. 219—220.

Sed progrediamur ad singula, quibus quae exposuimus appareant. Fabulas enim Cadmi sequuntur in libro IV. metamorphoseon Persei narrationes. Invenitur etiam apud Apollodorum ut Ionis[7] Epaphique fabula praecedens Agenoridarum narrationibus (bibl. II 10) ita iam idem ordo Thebaicarum rerum et Argivarum (bibl. II 10--34 sq.):

»Λιβύης καὶ Ποσειδῶνος γίνονται παῖδες δίδυμοι Ἀγήνωρ καὶ Βῆλος. Ἀγήνωρ μὲν οὖν εἰς Φοινίκην ἀπαλλαγεὶς ἐβασίλευσε, κἀκεῖ τῆς μεγάλης ῥίζης ἐγένετο γενεάρχης· ὅθεν ὑπερθησόμεθα περὶ τούτου. Βῆλος δὲ ὑπομείνας ἐν Αἰγύπτῳ βασιλεύει . . . .« (bibl. II 10. 11).

Quibus verbis subest eadem series genealogiarum qua usus Ovidius (cf. met. IV 606—607: »ab origine cretus eadem / Acrisius.«) τὰ περὶ Ἀγήνορος tradit, postea τὰ περὶ Βήλου, quamquam Apollodorus Agenoris generisque eius fabulas in bibliothecae — nescimus qua de re — refert alio loco (bibl. III 2—4. 21—39). Sed ordo, quem Ovidius adhibet affertque Apollodorus, congruit cum Diodoro Hyginoque[8] et traditione marmoris q. d. Pari

7) Fabula de Ione ab Inacho procreata (Apd. bibl. II 5) celeberrima fuit (Apd. l. c. »Κάστωρ ὁ συγγράψας τὰ χρονικὰ καὶ πολλοὶ τῶν τραγικῶν Ἰνάχου τὴν Ἰὼ λέγουσιν.«). Quam sumpsit de tribus formis, quas dare potuit fons (cf. Apd. l. c. II 5), Ovidius, praesertim cum sit ei iam dudum prompta (heroid. XIV 105). Igitur ab ea parte deest »grave argumentum, quo probetur Ovidium ignorasse stemmata Apollodori.« A. Laudien Studia Ovidiana. Diss. Gryph. 1905 pag. 10.

8) Argonautarum enim mythus haud versatur in certa stirpe hominum. Ita in encheiridiis ad quempiam, qui particeps fuit, heroem potest apte enarrari (cf. Diod. IV 40 init.). Quare cognita facile cernes, quod autumavi, apud tres scriptores:

Diod.	**Hyg.**	**Apd.**
f. Bacchi (i. e. Agenoris). (III 62 — IV 7)	f. Thebaic. (1—11)	<f. Argonautar.>
f. Herculis (i. e. Beli). (IV 8 — 39)	<f. Argonaut.> (12 — 27)	f. Agenorid.
<f. Argonautarum> (IV 40 — 56)	f. Herculis (i. e. Beli.) (29 — 36)	f. Belidum.

(J.G. XII 5, 444 pag. 104 [ep. 7—9]). Igitur cyclorum numerus eiusdem fere originis speciem prae se fert Ovidianus. Deinde praebet sicuti Graecus Naso *Lynceum* (met. IV 766: »Lyncides«), *Abantem* (met. IV 672: »Abantiades«), *Acrisium* (met. V 70: »Acrisioniades«), Persei proavos,[9] deinde Acrisium et Proetum *fratres* (met. V 238), utrumque inter se *inimicissimum* (met. V 237 — 239), Proetum *Argis exulem* (met. V 236 — 241), *regnum* Acrisi Argolicum (met. IV 607—608. met. V 239). Ea omnia, quae sicuti fabularum ordo inveniuntur in Apollodori bibliotheca (II 24) (schol. Eurip. Orest. 965), fluxerunt sine dubio de encheiridio in modum genealogiarum conscripto neque ita dissimillimo illi, quem habemus, libro.[10]

Sin autem Apollodori bibl. II 25—33 comparaveris cum Ovidianis rebus, facile cognosces *Nasonem aut nihil eorum aut contrarium prodere* ita ut verisimile coniciatur poetam eas res non legisse hoc loco. Quod quidem Bellerophontis fabulam (Apd. bibl. II 30—33.) omisit, satis apparet carminis consilio. At eidem consilio convenit optime Proetidum fabula (Apd. l. c. II 26—29), cuius mentio fit neque in Proeti neque in Acrisi neque in Bacchi mythis ne uno quidem verbo. Quamquam in ea nihil fit mutationis nisi commemoretur vesania e mente sana orta. Sed libenter Naso tales descripsit feminarum furores (met. III 701—733. met. IV 432—510. met. XI init.).

9) Agenorides (met. IV 770) Ovidio memoriae lapsu ortus est, qui multis cognominibus ab eo adhibitis declaratur facillime. Non recte, puto, Ehwald (Die Metamorphosen des P. Ovidius Naso, erster Band, Buch I—VII,[8.] Berlin 1903) ad IV 772. Quis tandem eo de verbo concludit Ovidium Agenoris Belique despexisse stirpes? cf. Laudien l. c. pag. 10.

10) Simillime nuper de hac re Dietze Festschrift zur Hamburger Philol.-Vers. Oktober 1905 pag. 10.

Nec vero ita inepte in Liberi contemptorum numero (met. IV 22 sq.) potuit referri earum fabula. Denique eadem praebuit tam facillimam et artificiosissimam rationem utrumque fabularum cyclum conectendi, ut nos oporteat poetam putare eam hoc loco haudquaquam animadvertisse. Verum non silet solum de Proeti filiabus, sed refert quoque aliquid, quod earum narrationi vehementissime occurrit, cum pro iis Libero Acrisium Argis opponit (met. III 559—560. IV 606—609). Qua de re Ovidius, cui haud displicuit Proetidum fabula,[11] *ea non vidisse videtur, quae Apollodori bibliotheca (II 26—29) nobis traduntur, cum scripsit, de quo agimus, fabularem cyclum. Nec Proetidibus notior videtur fuisse Proetus Apollodoreus poetae.* Nihil enim invenis de eius Tirynthio regno (Apd. l. c. II 25) in metamorphosesin, nihil de Megapenthe, Proeti filio, qui Persei in patriam reversi crimen absolvit (Apd. l. c. II 48). Sed Naso scripsit Proetum esse Perseo abeunte Acrisi opes vi et armis adeptum, a Perseo redeunte mortuum (met. V 236—241).

Apollodori vero bibl. II 34—35 haud discedit ab Ovidio. At poeta fabulam eandem neque cum fecit carmina iuvenilia (am. II 19, 27—28. am. III 4, 21—22. cf. a. a. III 415—416. III 631—632), ignorat nec iam pingit (cf. met. IV 609—610. 696—697) notissimam. Itaque ipsorum Perseiorum si reliquae res Apollodoreae obsistunt Ovidianis, non potest ista una similitudo aliud firmare. Acrisi autem ceteras res, quas refert Ovidius, ab Apollodorea traditione (bibl. II 47) nemo nescit abalienare. Etenim de Proeto Acrisium Argis

[11]) Quod demonstratur met. XV 325—328, ubi eas ex alieno fonte (Ehwald l. c. (zweiter Band[3].) ad XV 325). contextui carminis inseruit.

fugante nihil legitur in bibliotheca, de Perseo patrem necante nihil in metamorphosesin.

Sed Polydectes, rector Seriphi (Apd. bibl. II 36), haud deest apud Nasonem (met. V 242) nec regis catalithosis (met. V 248—249 = Apd. l. c. II 45). At Danaae ἀναγκαῖον λέχος, unde oritur apud Apollodorum Polydectis transfiguratio, a Nasone nec memoratur nec significatur. Sed ut apud mythographum de Persei odio in Polydectem ita de Polydectis odio in Perseum exercitato (met. V 244—245) dicitur apud poetam. *Inde, ut haud noscat eas res, quas habet Apollodorus (bibl. II 36. II 45),* mihi sequi videtur, praesertim cum considerem causam, ad quam Ovidius eandem metamorphosin reducit, inertissimam. (met. V 246—247).

Gorgonum Graiarumque mythus (Ovid. met. IV 770—799) ab Apollodorea fabula (bibl. II 37—42) *tam plane discrepat, ut singula supervacaneum videatur inter se comparare.* Denique Apollodori bibl. II 46 haud congruit cum Ovidianis verbis. Nam in metamorphosesin (IV 800—801) figit Minerva caput Gorgoneum pectore in adverso, ἐν μέσῃ τῇ ἀσπίδι (Apd. l. c. II 46) in bibliotheca. Quibus differentiis, quae extant inter Ovidi met. IV 606 — V 249 et Apollodori bibl. II 25—48, si addis fabularum ordinem inter utrumque hic illic diversum[12], *nonne iam negas poetam multis rebus neque exiguis non abhorrere a mythographo* (Apd. bibl. II 25—48)?

[12])

	Apd.	**Ovid.**
1.	Acrisius. Danaa. Perseus.	Acrisius. Danaa. Perseus.
2.	Gorgones.	Cepheus. Cassiope. Andromeda.
3.	Cepheus. Cassiope. Andromeda.	Gorgones.
4.	Phineus.	Phineus.
5.	Seriphus.	Argos.
6.	Argos.	Seriphus.

At certe nihil simile probari potest nisi fabularum series et conexus inter utrumque scriptorem. Itaque advocandi sunt alii testes. Ovidiana enim narratio (met. IV 606 — V 249) maxime versatur in rebus Aethiopicis, quae fictae sunt de Perseo Cepheo Cassiope Andromeda Phineo. Cuius fabulae satis constat (cf. K. Wernicke l.c.) duas traditiones, alteram in καταλίθωσιν (Soph.(?). Hyg. f. 64), alteram in καταστερισμόν (Eurip. Ps.-Eratosth. cat. 15. 17), evenientes posteaque confusas (Apd. Ovid.) inveniri apud scriptores. Ergo nihil quidem propius quam conicere Ovidianam pendere ex Apollodori narratione; sed dissensiones, quas aperimus, patent haud exiguae. Attamen multa demonstrant Nasonem Euripideorum maxime confidisse memoriae.

Investigemus igitur arridente Minerva, *quid Ovidiana fabula Euripidisque commune habeant!* Graeci de tragoedia multi et docti homines[13] hic plus ille minus proficiens disseruerunt. Quorum libris restricte, quantum potui, volutatis id in summa optime iudicatum esse mihi videtur, quod scriptum legis apud Wernicke (l. c.). Quem persecuti ipsius vestigiis tragoediae oeconomiam explicabimus brevissimis verbis:

— Ad Andromedam litoris cautibus Aethiopici religatam et fatum cum vocis imagine, deinde puellarum choro querentem venit die ineunte Perseus, Medusae victor, ex aere. Cuius rebus cognitis pollicitus se servaturum virginem amatam abit, ut monstrum marinum interficiat. Interea pater lugubris (et una mater) in scenam progressus certior fit de Abantiada. Jam nuntius quidam de dracone illius virtute sublato refert. Sed Perseo, qui redit victor, Cepheus negat, cum sit peregrinus et spurius, virginem ab eo iam pro pretio virtutis petitam in matrimonium se daturum. At Andromeda Perseo nubere quam duris parentibus mavult obsequi. Postremo Minerva, quae prodit in scenam deus q. d. ex machina, altercantes conciliat atque omnes in caelo nuntiat fulsuros esse post mortes inter sidera. —

[13]) Affero: Fedde, de Perseo et Andromeda. Berol. 1860 pag. 11—35. O. Ribbeck, röm. Tragödie. 1875 pag. 162—176. C. Robert, l. c. E. Johne, die Andromeda des Euripides. Progr. Landskron 1882—1883. N. Wecklein, Münch. Sitzungsber. 1888 I pag. 87—98. E. Bethe, l. c. (archaeol. Jahrb. XI (1896) pag. 292—300). Praeter eos A. Nauck, l. c. pag. 25—26 et K. Wernicke, l. c.

Jam vides inter utriusque poetae narrationem esse unam similitudinem. Utraque fabula enim convenit maxime *de diei hora* (Ovid. met. IV 664, cui non obstant met. IV 667. 668. Apud Euripidem amantes ad litus νυκτὸς ἱερᾶς γενομένης convenire quis negat?); — *de loco* (Ovid. met. IV 671. Eurip. frg. 124, 1—2. cf. Robert l. c. pag. 17. Bethe l. c. pag. 296); — *de Perseo,* qui *aera carpens tenerum stridentibus alis inducitur et Gorgonis caput referens* (Ovid. met. IV 613 sq. 664 sq. Eurip. frg. 123. Robert l. c. pag. 17); — *de Andromeda* castissima et tristissima (Ovid. met. IV 680—684. Eurip. frg. 118. 119. 122. cf. etiam frg. 127. Ribbeck l. c. pag. 166); — *de parentibus post colloquium inter amantes habitum advenientibus* (Ovid. met. IV 671 sq. et 690 sq. In Euripidis fabula idem inveniri satis constat, quamquam eius reliquiis adductis probari non potest invicte. Sed cf. Robert l. c. pag. 19).[14]

[14]) Chori vestigia non sunt apud Nasonem. Nam met. IV 734. 735 nihil videntur firmare.

Quibus similibus rebus accedunt nonnulli orationis consensus ac verborum.[15]

Iis perspectis omnibus quis iam dubitat, quin in Andromedae narratione conscribenda si non tragoedia Euripidis ipsa ad hoc revoluta, tamen eius memoria Naso adiutus sit? Sed similium numerus paucis, puto, potest augeri, si testimoniis, quibus Euripidea restituitur fabula, magis utemur. Testis enim est Lucianus de domo 22. (Jac.). Cuius imaginis tragicam originem ipse confirmavit Lucianus, cum scripsit: »ἑξῆς δὲ μετὰ τήνδε τὴν εἰκόνα ἕτερον δρᾶμα γέγραπται δικαιότατον, οὗ τὸ ἀρχέτυπον ὁ γραφεὺς παρ' Εὐριπίδου ἢ Σοφοκλέους δοκεῖ μοι λαβεῖν . . .« (l. c. 23). Quod δρᾶμα δικαιότατον Euripidis Andromeda videtur fuisse. At opponas mihi effictam ibi pugnam non fuisse in scena apud poetam. Quod concedere quis dubitat?[16] Sed nonne laudat scriptor id ipsum, quod ἐν βραχεῖ πολλὰ ὁ τεχνίτης ἐμιμήσατο i. e. res coniunxit non coniunctas in poetae fabula? Tabulae vero radices neminem possunt fugere Euripideae. Inspicias enim quaeso *Andromedam religatam* τῇ πέτρᾳ (cf. Robert l. c. pag. 17. Bethe l. c. pag. 296. Helbig l. c. Nr. 1183—1186), *amorem laudatum* (»τόλμαν ἐρωτικήν« cf. Bethe l. c. pag. 297), *eundem*

---

[15]) Ovid. met. IV 670: »iniustus« = »ἄνομα πάθεα« (fgr. 122,11).; Ovid. met. IV 674: »marmoreum opus . . .« = frg. 124, sed cf. Ehwald l. c. ad IV 675; —
Ovid. met. IV 680 (684): »primo silet . . .« = frg. 127. Quod fragmentum Nauck inserere videtur alio fabulae loco, sed non satis constat, ut referendum sit ad Andromedam de nomine rebusque an de virtutis pretio (»χάρις« frg. 126) a Perseo interrogatam. Sed cf. Wecklein l. c. pag. 90.
Ovid. met. 698 = frg. 125,3.; —
Fortasse addendum est Ovid. met. IV 677—678 = frg. 122 6—7. — Cf. Plaehn l. c. pag. 11—12.

[16]) In frg. 134a: »ὁρῶ ἀντὶ τοῦ εἶδον« Diomed. περὶ σχημ. Rhet. vol. 8 pag. 576. Cf. Robert l. c. pag. 76 id quod neglexit Wecklein l. c. p. 89).

ordinem rerum (»ὁ Περσεὺς τὸ κῆτος φονεύει καὶ τὴν Ἀνδρομέδαν καθαιρεῖ, καὶ μετὰ μικρὸν γαμήσει καὶ ἄπεισιν αὐτὴν ἄγων«.), Phineum absentem. Quae omnia quod drama praebuit nisi id Euripideum δικαιότατον (cf. schol. Aristoph. Ran. 53: »τῶν καλλίστων Εὐριπίδου δραμάτων ἡ Ἀνδρομέδα.«)?

Necnon versatur Euripides in Luciani dialogo marino 14 (Fr.). Accuratissime enim fabulae res narrantur (14,3): Persei adventus, Andromedae vincula, colloquium inter utrumque habitum, monstri interemptio, virgo soluta et ad Iunonem ab Abantiada comparata. Eo affluunt, quibus convenit utraque narratio, singula.[17]

Denique Gorgonum res, quae apud Euripidem procul dubio ipso ab advena referuntur, significat Lucianus *bis*[18] narratas.

Itaque Samosatensis et de dom. 22 et dial. mar. 14 revocari licet ad Andromedam celeberrimam. Quibus quid novi additur fabulae argumento? Uterque enim locus consentit ad verbum fere usque de caede ferina.[19]

---

[17]) »τὴν Ἀνδρομέδαν προκειμένην.« cf. frg. 122,5.
»ἐπί τινος πέτρας προβλῆτος.« cf. frg 124, 1—2.
»καλλίστην—μαστῶν.« cf. frg. 124, 2—4.
»οἰκτείρας τὴν τύχην αὐτῆς.« cf. frg. 125,1.
(»τῆς καταδίκης. cf. ἄνομα πάθεα« frg. 122.)
»λύσας τὰ δεσμὰ« cf. frg. 129,2.
»ἐς Ἄργος.« cf. frg. 125,3.

[18]) »τοιαῦτα γὰρ ἤκουσα διηγουμένου αὐτοῦ τὴν Ἀνδρομέδαν καὶ τόν Κηφέα ὕστερον.« (l. c. 14,2).

[19]) **dial. mar. 14,3:** »ὁ νεανίσκος πρόκωπον ἔχων τὴν ἅρπην τῇ μὲν καθικνεῖται, τῇ δὲ προδεικνὺς τὴν Γοργόνα λίθον ἐποίει αὐτό. τὸ δὲ τέθνηκεν ὁμοῦ καὶ πέπηγεν αὐτοῦ τὰ πολλά, ὅσα εἶδε τὴν Μέδουσαν.« **de dom. 22:** »ὁ Περσεὺς δὲ τῇ λαίᾳ μὲν προδείκνυσι τὴν Γοργόνα, τῇ δεξιᾷ δε καθ-

Singularis is, quem descriptum videmus, modus moriendi, singularior interficiendi. Quid? Qui ortus est? Euripide, puto, auctore.[20] Apud quem cum Phineus plane abesset, *ea in fera sola interimenda Medusaei capitis vis potuit apparere*, qua ipsa re Perseus suam dignitatem comprobaret (cf. Ovid. met. IV 698). Sed maris portentum e longinquo[21] in lapidem vertere Gorgoneo porrecto nihil videbatur negoti nec dignum heroe e deo nato. Qua de causa addidit poeta tragicus harpen, quae ex antiquissimis temporibus coniungitur cum Perseo. Ac vix id utrumque pugnandi instrumentum inepte ad Lyncidam consociatum offendisset, nisi pictores idem tabulis mandavissent pendentes nimium ex Euripide (cf. etiam Helbig l. c. pag. 247 Nr. 1184).

Tali autem de pugna, quam venisse e tragico poeta cum causis coniecimus, nihil apud Ovidium. Cur desit, quaeris. Facile intelleges. In metamorphosesin enim potuit probari Gorgoneum compluribus metamorphosesin (praec. Phinei, Proeti, Polydectis). Igitur Perseus haud eget eo, quod gladifero pugnatori impedimento est. Sed magis proficies etiam in Ovidio, si Ps.-Eratosthenis cat. 22 magis adhibueris eiusque res ad Euripideam fabulam reconstruendam colligaveris cum cat. 17 et 15. *Iisdem praecipue praeberi tribus narrationibus Andromedae argumentum existimandum est.* Nam in duabus (17. 15) Euripides auctor affertur rerum. Quod omissum ne mireris in tertia! In Persei enim narratione (22) rerum auctor nominatur gravissimus Aeschylus,[22] cuius fabula sit de Phorcidibus ipsis, non Euripides, qui eas induxerit, sicuti supra memoravimus (pag. 17), a Perseo relatas.[23] Sin autem gravissimum quid in fabula celeberrima, quam legit qui conscripsit cat. 17 et 15, posterior poeta aliter tradidisset eius rei atque Aeschylus, num eum, qui tam diligentissime egit in iis fabulis astronomicis tractandis, scriptorem oblitum esse putas id adnotare? Equidem non puto. *Ita Euripideae non dissentiunt ab Aeschyleis rebus.*

Idem certius fit aliunde. Andromeda enim et Cepheus caelo imponendi certe debentur Euripidi (c. 17 15). Qui si eos auxit, eodem honore Perseum, qui in fabula gessit gravissima, poetam arcuisse num censes? Id vix concedendum videtur. At ipsum apud Euripidem *Minerva,* Persei soror, Cepheo Cepheiaeque vitas dedit aeternas aetheriasque (c. 17: »διὰ τὴν Ἀθηνᾶν.« c. 15: »Ἀθηνᾶς γνώμῃ.«). Sed ut in narrationibus 17 et 15 catasterismum facere Minervam, ita constat in 22 (»τῷ δὲ Περσεῖ τὴν εἰς τὰ ἄστρα θέσιν ἐποίησεν« sc. ἡ Ἀθηνᾶ.).

ικνεῖται τῷ ξίφει· καὶ τὸ μὲν ὅσον τοῦ κήτους εἶδε τὴν Μέδουσαν, ἤδη λίθος ἐστι, τὸ δ' ὅσον ἔμψυχον μένει, τῇ ἅρπῃ κόπτεται.«

[20]) Quamquam Ennianae Andromedae fragmenta tale non firmant.

[21]) Aut ex aqua aut ex aere. Utrumque enim invenitur in imaginibus, quas videmus aut audimus (cf. Wernicke l. c.). Apud Euripidem verisimillimus impetus aetherius Persei, qui εἰς γῆν βαρβάρων ἠφίκετο ταχεῖ πεδίλῳ (frg. 123).

[22]) Fidem habeo C. Robert, qui scripsit (Eratosthenis catasterismorum reliquiae pag. 130 testim. ad cat. XXII 14): »ceterum nullus dubito, quin non tantum hac in una re, sed potius *tota in narratione* Erastothenes Aeschyli fabulam sequatur«. Quo accepto latet unde sit Hygini (astr. II 12) hoc: »sed ut ait Aeschylus tragoediarum scriptor in Phorcisi«, quo commotus A. Olivieri (myth. Graec. III 1) Ps-Eratosthenis verba mutavit in: »ὡς δὲ Αἰσχύλος φησίν.«.

[23]) Qui conscripsit catasterismos, non videtur afferre nisi fabularum auctores, non eorum imitatores, ut in c. 22 Aeschylum, 16 et 36 Sophoclem, 17 et 15 Euripidem.

Quo inter se alligatur catasterismorum trias[24] (17. 15. 22). Sed in Persei narratione (c. 22.) Minerva τὴν εἰς τὰ ἄστρα θέσιν Acrisioniadi dat *pro* Gorgoneo ab eo accepto.[25] Itaque cum nec Medusae caput dono datum a Persei catasterismo nec Persei catasterismus ab Andromedae Cepheique possit seiungi, num audacior videtur coniectura, *qua Gorgoneum Minervae traditum atque catasterismi Andromedae Cephei Persei coagmententur?* Quo recte mihi coniecto *coagmentatae res sunt de Andromeda Euripidis*, qui Gorgoneum Minervae condonatum eiusque fratrem astris insertum finxit in Aeschyli exemplum. Ita de Perseio cyclo Euripides disserit in sua fabula non universo; sed ab Acrisioniada Aethiopiae advolante initium, finem capit Minerva pectus ornante.

Qua de causa eius drama potest fons esse metamorphoseon a IV 668 usque ad IV 801 i. e. fabulis *Andromedae, Gorgonum, Minervae Gorgoneum accipientis.* Iamque Cepheiae mythus quatenus Ovidianus pendeat a tragoedia illa celeberrima, largis supra exposuimus verbis. Igitur quaeramus hoc loco de Medusae rebus, quae a Nasone brevissime ita ut Acrisi et Andromedae fabula enarrantur.

Medusae caedem ipso a Perseo relatam Ovidius non Vergilium (cf. Ehwald l. c. ad IV 611), sed fecit secutus Euripidem. In Graeci enim exemplum Perseus ex aere ad Andromedam Gorgoneo capite spoliato,

[24]) Non in dubio ponatur, quin huic addendi sint cat. 16 et 36. cf. pag. 15.

[25]) „. . . τῆς Μεδούσης τὴν κεφαλήν, ἣν ἡ Ἀθηνᾶ περὶ τὰ στήθη ἔθηκεν αὑτῆς, τῷ δὲ Περσεῖ τὴν εἰς τὰ ἄστρα θέσιν ἐποίησεν . . ." Idem dilucidius dicitur in schol. Germ. BP pag. 82,12: »caput Medusae abscidit, quod pectori Minervae imposuit **ob quod a Minerva astris inlatus**«.

sicuti supra diximus, in metamorphosesin inductus est veniens. Qua de causa facinoris audacissimi suscepti oportebat mentionem fieri ipsum per Abantiadam (cf. Lucian. dial. mar. 14,2, 323 Fr.). Sed quia apud Nasonem Perseus virginis parentibus res nomenque aperit in summo periculo, non multa verba fieri (met. IV 694—700), sed uberiorem nuntium necessarium erat de Medusa interempta reddendum proferri. Quem inseruit Ovidius — suo Marte, puto,[26] — colloquiis inter cenam nuptialem habitis,[27] ubi Perseus Cepheo interroganti respondens refert de Gorgoneis rebus.

Quarum de fontibus si quaeris, Gorgonum mythus Graiarumque — uterque legitur coniunctus apud scriptores ex Hesiodi temporibus (theog. 270—279) — diverse traditus est.[28] De Graiis enim alii[29] memorant procul a Gorgonibus habitantes viam in regiones nympharum, quae necessaria in Medusae caedem habebant instrumenta,[30] ferentem solas cognitam habere, alii[31] easdem referunt prope sorores domicilia habentes earum custodes (προφύλακες) esse, ad quas Perseus cum instrumentis antea acceptis[32] venerit. Praeterea differt utraque fa-

[26]) Cf. O. Ribbeck: Gesch. d. römisch. Dichtg. II² pag. 295.

[27]) Jam vides poetam in difficultates incurrere. Nam quid sibi vult hoc (met. IV 698): »Gorgonis anguicomae superator«, cum plane ignorent id monstrum parentes.

[28]) Cf. Rapp in lex. Rosch. s. v. Graiarum.

[29]) Pherec. in schol. ad Apoll. Rhod. A. IV 1515. **Apd.** bibl. II 37—42 Zenob. I 41. Tzetz. ad Lycophr. 838.

[30]) „. . . αἱ νύμφαι πτηνὰ εἶχον πέδιλα καὶ τὴν κίβισιν, ἥν φασιν εἶναι πήραν." Apd. l. c. II 38.

[31]) Aesch. apud Ps.-Eratosth. cat. 22. schol. Germ. BP pag. 82,12 (schol. Germ. G pag. 147,17). Hyg. astr. II 12. Nonn. Dion. 25,35 sq. 31,15 sq.

[32]) Cf. Ps-Erat. l. c. (»τήν τε κυνῆν ἔλαβε παρ' Ἑρμοῦ καὶ τὰ πέδιλα«. — »ἅρπην παρ' Ἡφαίστου λαβεῖν«.) et ceteros testes (cf. adn. 31).

bulae traditio haud exiguis: Illic enim trium, hic duarum[33] Graiarum; illic unius oculi dentisque, hic unius mentio fit oculi.

Gorgonum vero *facies habitusque* in Pherecydea fabulari forma conspicitur descripta[34] aliter atque in Aeschylea. Qui poeta quam fecerit Gorgonum *speciem* ἐν Φορκίσιν, de quibus derivavimus Euripideae Andromedae *res nonnullas*, silentio praeteritur in cat. 22. Sed ceterae tragoediae, quas nobis fortuna servavit, Aeschyli consentiunt inter se de eadem specie, quamvis in vetustissima tragoedia (Prometh. 792 sq. Weil.) Pherecydis vestigia poeta secutus sit nonnullis. Qui Gorgonum capitibus addidit *angues*,[35] fecit *fuscas*,[36] *alis carentes*.[37]

Denique in Pherecydis fabula Minerva caput Medusaeum ἐν μέσῃ τῇ ἀσπίδι (Apd.), apud Aeschylum εἰς στήθη (Ps.-Erat. cat. 22) figit. Id haud ita vehementer inter se differt. Nam sive ponitur in scuto sive in pectore, semper additur τῇ αἰγίδι. Quae intellecta est et lorica et scutum (Roscher in lex. myth. s. v. Aigis.).

---

33) In schol. Germ. BP. pag. 82,12 et schol. Germ. G pag. 147,17 tres sorores videntur spuriae.

34) Apd. l. c. II 40: „εἶχον δὲ αἱ Γοργόνες κεφαλὰς μὲν περιεσπειραμένας φολίσι δρακόντων , ὀδόντας δὲ μεγάλους ὡς συῶν, καὶ χεῖρας χαλκᾶς, καὶ πτέρυγας χρυσᾶς, δι᾽ ὧν ἐπέτοντο.“ cf. etiam Tzetz. l. c. Quacum specie tradita congruunt vetustissimae Gorgonum imagines. Ubi Phorcidum capitibus desunt angues (cf. Furtwängler in lex. Rosch. s. v. Gorgonum col. 1709 sq. 1713). Semper monstris alae sunt (col. 1709) et plerumque magni dentes ex ore rigent (col. 1706).

35) Choeph. 1049—1050 W.: „πεπλεκτανημέναι πυκνοῖς δράκουσιν“ = anguicomus. Quocum loco falso comparatur Hesiod. Scut. 233—234. cf. etiam Prom. 799W.: „δρακοντόμαλλοι“.

36) Choeph. 1049: „φαιοχίτωνες“. Eum. 48—52 (52): „μέλαιναι“.

37) Eum. 512 (?).

Itaque in ea re haud grave indicium traditionis *videtur* esse diversae. Sed de aegidis positu cum Phorcidibus („περὶ τὰ στήθη“ Ps.-Erat. 22) consentit fabula Eumenidum.[38] Unde censeo Aeschylum τὴν αἰγίδα *pro veste* habuisse ita ut *in Minervae pectore* esset. Atque cum aegide coniungitur semper Gorgoneum (E 741. Preller-Robert Griech. Mythologie I⁴ pag. 191). Ergo dubium non esse potest, ubi posuerit Aeschylus caput Medusaeum.

Igitur Gorgonum *utraque* patet *imago* altera *Pherecydis*, altera *Aeschyli*. Quae est apud *Euripidem*? Satis certa dici non possunt de ea re. Sed si iterum legeris, quae supra (pag. 18—20) de catasterismis 17 15 22 scripsimus, mecum conicies, credo, Euripidem ut de rebus ita iam de Phorcidum specie consentire tragico cum poeta priore. Quo ipsa Euripidis verba parum afferunt testimoni. Per Andromedae enim reliquias nihil apparet, quod ad Phorcides pertineat. Sed in ceteris fabulis nonnulla invenies, quibus quales fictae sint ab Euripide, intellegi potest. Sed argumentis e ceteris tragoediis sumptis cave ne levius utare, quod poetae persaepe variant de aliqua re in dramasin. Qua de causa praetermittimus *ipsius fabulae* testimonia Gorgoneae. At earum *species* ab Euripide narrata recognosci potest testibus aliunde petitis. Nisi forte et Euripidem putas Phorcidum faciem in alia fabula aliter mente concepisse, quod vix concedendum est. De Gorgonum capitibus squamis obductis sive pro crinibus squamas habentibus, de magnis dentibus, de manibus aheneis de alisque aureis (Apd. bibl. II 40) nihil legis

---

38) V. 403. 404 Weil:
„ἔνθεν διώκουσ᾽ ἦλθον ἄτρυτον πόδα
πτερῶν ἄτερ ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδος.“

in Euripidis tragoediis. At Aeschylus, Phorcidibus addidit angues, addidit Euripides[39] (Ion. 1015 Nauck.). Nec vero angues neque anguicomum caput diversum videtur apud utrumque poetam. Etenim ut apud Aeschylum ita iam concludi licet apud Euripidem, ut, ubi aegis sit, etiam Gorgoneum, cum utrumque habeatur coniunctum, cogitetur affictum. Euripides autem τὴν αἰγίδα ἐπὶ στέρνοις fecit Παλλάδος στολήν (cf. Ion. 994. 995 Nauck.).[40] Ergo poeta et terribile caput intellexit divi pectoris ornamentum.[41]

Quae cum Pherecydeis et Aeschyleis si conferuntur Euripidis res, eum manifestum videtur cum Pherecyde nihil, cum Aeschylo simile habere nonnihil. Quo plus affirmandi testes desiderantur. Attamen *verisimile est in Aeschyli celeberrimum exemplum epigonum finxisse suas Gorgones.*

Tantum de Aeschylo et Euripide. Jam transeo ad Nasonem. Idem enim Furias fecit anguicomas (met. IV 614. 698. 769. 790 e. a.). De Medusae vero capite Ovidius refert hoc: »pectore in adverso quos fecit sustinet angues« (IV 801) = »περὶ τὰ στήθη« (Ps.-Erat. cat. 22). Nec vero praetermittas Graias inter

---

[39]) Cum pateat Euripides in Luciani dialogis, affero Luc. dial. deor. 19: „ἐπὶ τοῦ στήθους ἔχει πρόσωπόν τι φοβερὸν ἐχίδναις κατάκομον.“

[40]) Non affertur hoc loco suis verbis Gorgoneum (haud dilucide Preller-Robert l. c. pag. 192), nam cuti (δέρος) caput adhaeret. Atque quia aegis non separatur a capite Medusaeo, cum capite et cutis hac fabula quinto fere saeculo a. Chr. n. orta ducta esse videtur ab eodem monstro. Ita origo huius fabulae Atticae.

[41]) Cf. Lucian l. c. (cf. adn. 39) Philopatr. 8 Jac.: „τὴν τῆς Γοργόνος κεφαλὴν ἐν τῷ στήθει περιάπτεται.“

poetas esse simillimas.[42] Ut singula ita totum catasterismi 22 argumentum bene confertur cum Ovidiana narratione brevissima (IV 770—790), cui poeta nescio quae lumina addiderit (IV 775—779?). Sed plane adversatur Naso Pherecydi, qua de re largiora verba videntur supervacanea.

Itaque Ovidius convenit cum Aeschylo et Euripide. Unde hauserit, non iam dubium esse potest, cum haud negaveris Andromedam Euripideam in Nasonis esse Cepheiae narratione nec negaturus sis de Gorgoneo ab utroque dato Minervae.

Quae fabularis res facile demonstrabitur. Etenim apud Euripidem Lyncides sorori fautrici donavisse videtur caput ferinum (cf. pag. 18—20). Idem scriptum legimus in metamorphoseon IV 800—801. Qui locus, cum adversetur rebus Phineiis (V 1—235), multos doctos — iam scholiastam illum vetustissimum (s. XI), de quo egit Meiser (Münchener Sitzungsberichte. 1885 Heft I 47—49) pag. 52 — offendens ab aliis e verborum contextu (a. e. a Riese editore pag. 74) motus, ab aliis M. Haupt auctore contorte demonstratus est (cf. Ehwald ad IV 799 et pag. 348—349). Equidem plane aliter sentio. Quibus versibus gravissimum mihi praebetur documentum, quo de Graeca tragoedia pendere affirmatur Ovidium. Ac quamvis differentiae, quae nascuntur iisdem e versibus, negari non possint, tamen sunt nobis accipiendae nec quicquam ex iis efficitur nisi ut poeta Romanus in exprimendis Graeci rebus progressus sit ad nimium usque.

---

[42]) Met. IV 772 »geminas sorores« = Hyg. astr. II 12 (cat. 22); »unius partitas luminis usum« (l. c. IV 773 = cat. 22. schol. Germ. BP. pag. 82,12. schol. Germ. G. pag. 147,17. Hyg. astr. II 12.

Sed ne una quidem invenitur haec fabella, qua Perseiae res metamorphoseon libro IV et V a poeta traditae inter se dissideant ac discordent. Etenim hoc loco laudatissimum drama, cui de Andromedae Gorgonum Gorgoneique capitis fabulis pars debetur bona, iam desiit Ovidio praebere materiam. Ita Phinei mythum aliunde prompsit poeta Romanus. Nam in Andromeda Euripidea Phineus non est in scenam progressus (cf. Robert l. c. (arch. Ztg. 36 (1879) pag. 19. Wernicke l. c.). Alienam autem Phineiorum originem obscuravit Naso haud tantopere, ut non utriusque argumentum inter se inimicissimum possimus discernere.

In metamorphoseon enim libro IV non adest Phineus virgini cautibus religatae nec speratur nec fertur auxilium a sponso et patruo. Nec vero parentes neque Andromeda nec dubitantes neque cunctantes spectantur neque in pacto cum Perseo faciendo neque inter cenam nuptialem habitam. Quibus si Minervae fabella (IV 800—801) additur, omnia ita fere enarrari videntur in libro IV, ut poeta videatur rem Phineiam repudiare data opera.

At postea (met. V 1—235) conspicitur coniugialia festa disturbans Phineus, cui Cepheus antea filiam in matrimonium pollicitus est se daturum (v. 23). Adfuit Andromedae ferae marinae traditae (v. 22) neque opem tulit (v. 23). Perseum vidit advolantem (v. 11) et aures praebuit res nomenque pronuntianti (v. 10. 11).

Jam vides novam fabulam. Cui tribuendum videtur pactum quoque coniugiale (met. IV 702—704), quod a tragoedia plane constat abhorrere. Nam a Graeco poeta Abantiades Andromedam fera interempta petitam

nisi eius constantia et amore (Ps.-Erat. c. 17. Robert, archaeol. Ztg. l. c. pag. 19), a Romano e foedere ante pugnam cum parente icto fingitur accipiens. Sed novae Phinei fabulae optume quadrat idem pactum. Quod Cepheus perstringit uno verbo (v. 28) ita ut Phineus, cum Andromedae praesens sine dubio fuerit moriturae, cognitum habens illud quoque foedus oporteat intellegi. Quo iratus inopinantem opprimebat Perseum, qui posteriore prius pactum coniugi deleverat (cf. met. V 218—220).

Quapropter ea recens fabula commune habet aliquid cum ea, quam refert Apollodorus (bibl. II 24). Nec defuerunt, qui satis acute concluderent talem fere fuisse Nasoni fontem. Sed cave, quaeso, ne fallare! Ovidius enim scripsit:

»sed limine tecti
exierat Cepheus testatus iusque fidemque
hospitiique deos, ea se prohibente moveri«.[43]
(met. V 43—45).

Jam regis maiestas quidem proelio demota non videtur singulare. Sed fabularis extat forma, ubi Cepheus cum fraterno genero, cui favet, Perseum, cum vellet virginem abducere servatam, aggressus fingitur (Hyg. f. 64). Quacum hunc mythum si comparas, videtur orta esse eius figura contortissima vi aliqua Hygineae fabulae. Nec vero non regis abitum oportet nos propriae fabulae habere praecipua pro particula. Quae cum desit apud Apollodorum, non possunt ea, quae praebet (bibl. II 44), argumentum dedisse Ovidio. Nam plus liquoris quam ipse tenet, quis unquam hausit

de fonte? Igitur Phineiorum origo ignoratur.[44] Quae cum ita sint, iam haec constant: de fabularum conexu *ordo rerum speciesque genealogica concordans cum Apollodoro*, ipsis de fabulis *duae partes inter se dissonae altera multis neque exiguis Euripidem redolens, altera ab Euripide abalienans.*

Quam rerum triada unde sustulit poeta in unam contrahendam? De quo certa desunt, sed verisimillimum videtur unum fontem Ovidio subfuisse brevissimum et serie ordinatum genealogica, ubi primum Agenoris fabulae, deinde Belidarum cycli et alia (sc. res a Persei proavis (pag. 11) gestae, de quibus nihil plane affirmari potest) et Euripideae Andromedae argumentum[45] celeberrimae Phineiorumque extiterint narratio.

Quae origo si tibi accipitur, facile cernes Ovidi mythopoeiam. Argolicum enim inter cyclum metamorphoseon consilio maxime favebat Phinei sociorumque metamorphosis. Ea igitur summis depicta videtur coloribus. Sed quod etiam Andromedae Gorgonumque mytho fabellae nonnullae adfictae sunt mutatoriae,[46] narrandae fuerunt Lyncidae amor quoque erroresque quamvis angustissime. Id potuit fieri eo facilius, quod tragoedia notissima lectorum animi satis praeparati videbantur. At idem drama oppugnabat Phinei rebus. Ergo utrumque confundere fuit poetae in unum carmen

---

[43]) Cui obstare non videtur V 152.

[44]) Propter contortam speciem revocata est ad Alexandrinam aetatem (cf. Wernicke l. c.).

[45]) Nonne metam. l. IV. exit in modum hypothesis, sicuti Ps.-Erat. cat. 22?

[46]) Met. IV 616—619. 630—661. 739—751. 791—799.

discrepantiis carens. Quod non satis perfecit Ovidius, cuius scriptis defuerit ultima lima (trist. I 7, 30).

Sed cave ne Nasonem statuas nimium fonti servientem! Etenim cum lectoribus tum ipsi poetae eae fabulae satis perspicuae (pag. 8.) perspectae fuerunt (pag. 8—9) ita ut Andromedae et fortasse Phinei res, quarum in exemplum Turni fabula ficta videtur vernacula. Igitur coniciam Ovidium encheiridio cursim lecto res notissimas revocasse in memoriam, deinde Argolicum cyclum perfecisse sua Minerva. Cui coniecturae haud occurrit similitudo, quae stat inter Nasonem et Euripidem. Nemo enim contendet Ovidium Euripideum drama ad conscribendos versus (met. IV 662—801) perlegisse, nemo idem plane nescire. Ita qui inter Romanum et Graecum intercedat concentus, facile declaratur, si constituis Nasoni fabulae antea volutae et lumina et res in animum iterum venisse hypothesi assumpta, cum scripsit Perseia. Cui non doctrina opus fuit, sed rerum commemoratione.

Quod Ovidi liberum iudicium in fontibus adhibendis cum causis statutum nescio quis mihi affirmaturus sit. Quo accepto nonnullae Nasonis proprietates, quae extant in fabulis marginalibus, ut ita dicam, sine negotio exponuntur: dico Acrisium Liberi spretorem; Proetum transfiguratum; Polydecteae metamorphosi subditam causam.

Acrisius enim, Argivorum rex, per quem transgreditur Ovidius ad novum mythorum circulum, neque apud Apollodorum cognoscitur neque ceteros scriptores omnes contemptor Liberi. Quem deum constat Argos venisse, sed quae in Apollodori bibliotheca (III 37, 18—19)

scriptum legimus, pertinent ad ea, quae idem refert ad memoriam de Proeti filiabus (Apd. bibl. II 26—29). At qua in metamorphosesin, eadem Acrisius nusquam alicubi vice fungitur, fortasse, quod fors fontem nobis dempsit, verisimilius, sicuti censeo, quia ipse poeta tale fecit encheiridio adductus neglegenter inspecto. Vide quaeso, quid mihi in mentem venerit. Compendi enim secutus vestigia a Cadmeis proficiscitur Naso ad Abantea. Jam quas Persei gesserunt patres (cf. Apd. l. c. II 11—23), res plane distabant ab Ovidiano opere. Quae cum ita sint, occupatur protinus in Acrisio Proeto Perseo.[47] Cuius patrem Argis regnare cum ibi atque antea alio loco legisset Liberum eodem venisse non agnitum, utramque rem suo Marte coniungens[48] divino advenae opposuit contemptorem Acrisium. Sed quod a deo multatus non inveniebatur Argivus in compendio, impetum hostis pertulisse Nasoni videbatur (met. III 559—560). Quo fere modo, puto, Ovidius, quas res encheiridium ei praebuit strictim perlectum, suo ingenio iam expleverat, cum Liberi itinera conscriberet eademque constringeret cum Abanteis. Ita transitus fieri potuit a Semeleio ad Danaeium heroem per Acrisium.[49]

Eandem fere possumus terere viam, cum iam quaeramus de Proeti[50] fabella (met. V 236—241).

---

[47]) Cf. Apd. bibl. II 24.

[48]) Persei Liberique certamen de Argis factum (Euphor. frg. 16 M. Paus. II 20,4. II 22,1. II 23,7. Nonn. Dion. 47, 475—741 cf. P. Kretschmer: (archaeol. Jahrb. VII (1892) p. 32 sq. addo: Augustin. d. civ. dei 18,13) abhorrere ab his rebus, supervacaneum videtur ostendere.

[49]) Falso Laudien l. c. p. 12 (»Haud secus (sc. ac Naso) Diod. IV 9 a Baccho per Acrisium transit ad Perseum.«).

[50]) Quod redit Perseus ex Aethiopia primum Argos, non neglegentia quadam adductus (cf. Ehwald ad IV 611), sed Naso

Cuius fons plane desideratur.[51] Tamen dubito eandem tribuere origini alicui ignotae. Etenim si divelleris fabellam, discernes mox vulgares has particulas: Acrisi Proetique inimicitias; Proetum Argis expulsum; Perseum in patriam reversum eundemque Medusa victa ultorem hostium (sc. Phinei, Polydectis.). Novum additur Acrisius a Perseo in regnum restitutus. Sed id ipsum oppugnat Nasoni ipsi. Nam ei Acrisi fatalis fabula ante oculos fuit. Specta, quaeso, sano quietoque conspectu met. IV 611—613:

»mox tamen Acrisium . . .

. . . non agnosse nepotem

paenitet«.

Quos versus nemo est quin referat ad necem regis ignoto a filio acceptam (cf. Apd. l. c. II 47). Sed contortissime iudicatur Acrisium nepotis despecti paenituisse ea de causa, quod Perseus immerito avo reducto pudorem postea iniecerit. Ergo hic (met. IV 611—613) propter prolem neglectam multatio significatur paenitentiaque Acrisi,[52] hic (met. V 236—241) honor et bonum affertur. Ubi est obscuritas rerum. Declaratur facile, si me sequeris conicientem res compendiarias primum memoria receptas tradidisse, deinde omittentem sua mente

---

tradit Euripidem secutus auctorem. (»Περσεὺς πρὸς Ἄργος ναυστολῶν.« frg. 125 N. — »εἰς τὸ Ἄργος ἀπῆλθε μετ᾽ ἐκείνου.« Ps.-Erat. c.17.—»ἀπάξει αὐτὴν εἰς Ἄργος«. Lucian. dial. mar.14,2).

[51]) Hyg. f. 64 art. II (»Polydectes **sive** Proetus«! — nihil de Danaa cf. met. V 242—247) et Hyg. f. 244, 7—9 B. ita natos esse puto de metamorphoseon l. c. ut constat de Lactant. Placidi V 2. — Dissensum inter Ovidi met. V 236—241 et Apollodori bibl. II 47—48 supra docui. —

[52]) Poena propter Liberum contemptui habitum proposita (met. IV 612) deest. Quo vides Nasonem impietate Acrisi facta irretiri erroribus.

refecisse poetam. Ita quae dabat encheiridi lectio parum diligens, supplens finxit Acrisium a fratre exulem, a Perseo iterum regem Proetumque a Gorgonis superatore esse multatum.

Rerum denique memoria poeticoque ingenio perfecta videtur ut Proeti ita iam Polydectis fabula (met. V 242—249). Etenim Seriphius rector in lapidem conversus optime consentit cum ceteris scriptoribus, qui eandem rem tractaverunt. At met. V 242—247 nullo modo possunt significare fabulam celeberrimam (cf. Dictyn Euripideum! Nauck l. c. pag. 83—87) de ἀναγκαίῳ λέχει (Pind. Pyth. XII 15) Danaae fictam. Nam silicem fecit Lyncides regem, quod virtutem iuvenis detractat (met. V 246). De Persei odio nihil apud Ovidium nec de matre contaminata (cf. pag. 13). Qua de re existumem Polydectis metamorphosin ad causam dubitationis rerum (met. V 246, 247) redegisse poetam ipsum fontibus maiorem hic quoque sibi visum.

Pars II.

De Calliopes cantibus (met. V 341—661).

Proserpinae raptum erroresque Cereris et in metamorphosesin (V 341—661) Ovidium quis nescit tractavisse et in fastorum libro IV, cum Cerealium explicabat ludorum causam ubique patentem?[1] Ceteri loci omnes, qui in Nasonis carminibus sunt de iisdem deabus,[2] nihil addunt novi argumento fabularum metamorphosesin (V 341—661) et fastis (IV 393—620) praebito. Utramque narrationem ex uno fonte manasse iam dictum causisque confirmatum est.[3] Sed Ricardo Holland non omnes videntur assentiri.[4] Qua de causa eam rem denuo in quaestionem vocare non supervacaneum videtur.

Initium enim capit utraque naratio ab hymnis Cerealibus qui idem fere continent. In fastis largius (IV 395—407), in metamorphosesin dicitur artius (V 341—345) de Cereris promeritis. Etiam dissentit quidem a se utrumque prooemium — si quae ipsum ad fastorum consilium referuntur (IV 407—416), praetermittimus — nonnullis, sed rerum difficultatibus caret per seque intellegitur.

Sin autem homines secuti doctissimos, qui metamorphoseon V 341—345 ad Diodori bibl. V 5,2 revocaverunt, *nos utrumque prooemium,* quia easdem fere

[1]) Fast. IV 393. 394.

[2]) Cf. in editionibus Riesianis verborum indices.

[3]) Cf. R. Holland, De Alpheo et Arethusa (comm. philol. O. Ribbeckio oblatae. 1888 pag. 383—414) pag. 398.

[4]) Cf. R. Ehwald l. c. ad met. V „385—408". — H. Peter: P. Ovidi Nasonis fastorum libri sex.[3] Lpz. 1889 ad IV „417—620".

res praebet, *cum Siculi verbis comparaverimus*, facile neutrum cognoscemus cum iis convenire ad amussim. Nam metamorphoseis habent alium munerum ordinem (met. V 341—343: I. agri cultura. II. frumenti inventio. III. legislatio. Diod. V 3: I. σίτου εὕρεσις. II. κατεργασία αὐτοῦ. III. θεσμοφορία.), et in fastorum libro IV 395—407 Cereris mentio fit non legiferae, sed paciferae. Sed in fastis ordo munerum (IV 395—402 = σίτου εὕρεσις. 403—404 = κατεργασία αὐτοῦ. 405—407 = θεσμοφορία) munerumque nomina cum Diodoro congruunt in metamorphosesin (V 341: κατεργασία. 342: σίτου εὕρεσις. 343: θεσμοφορία.). Ergo utrumque Nasonis prooemium praebet Diodorea, et quibus abalienat a Graeci verbis, levia videntur. Nam quis est qui vituperet licentiam poetae, qua usus donorum confudit ordinem? At pro legibus qui pax — sed alterum efficitur altero eveniuntque et pax et leges in idem hoc: «τὸ ζῆν καὶ τὸ καλῶς ζῆν» (Diod. V 5,2).

Itaque cum invenimus *ex Diodori libro V. (l. c.) sicuti de uno fonte utrumque rivulum fluxisse in Diodorique verbis coniungi utrumque hoc prooemium*, utriusque cognita ea re lucem accipere conemur *de compositione*. Ovidius enim de fonte utrumque prooemium sumere voluit alterum fastis alterum metamorphosesin inserendum. Fastorum autem consilio conveniunt munera genuino ordine fuseque enumerata Cereris, cuius in honorem gloriamque ludi habebantur Cereales (fast. IV 393—394). Qua de causa hoc loco munerum in ordine explicando ὕστερον quod audit sequitur πρότερον (sc. frumenti inventio agri cultura culturaeque eventus). Nec vero poeta satis habet enumeratis divae promeritis, sed amplificat ornamentis orationis luminibusque aliunde petitis. Quantum enim donum valeat frumenti, declaratur cibis a pristinis hominibus carptis, pro quibus frumentum in humanum usum vocatum poetae Augusti qui dicuntur libenter depinxerunt.[5] Aetatis vero cibis allatis aureae Cererem inducit Naso frumenti agriculturaeque inventricem et pacificam. Sed inter versus fastorum IV 403 et 407 non omnia sunt perspicua. Nam interest humum inter sulcis erutam (fast. IV 404) et in viscera usque apertam. Nec vero intellegitur plane primo aspectu, quare humi opes debuerint tegi pacique obstent (fast. IV 405—407). Sed obscura fiunt luce ipsa clariora, si metamorphoseis (I 137—143) auxilio vocamus:

»nec tantum segetes alimentaque debita dives
poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae,
quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris,
effodiuntur opes, irritamenta malorum.
iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum
prodierat; prodit Bellum, quod pugnat utroque,
sanguineaque manu crepitantia concutit arma.«

Quibus versibus assumptis quis nescit orationis conexum? Quis Ovidium haud cognoscit idem quod in metamorphosesin largissime explicavit, in fastis narasse brevius ita ut plane dilucidum fiat illis accitis? Jam Ceres non legifera (θεσμοφόρος Diod.), sed pacifera (fast. IV 407) memoratur, quod illis ipsis belli temporibus Ceres Marti opposita apud poetas Latinos inducitur.[6] Ceres igitur paci favens nata est inter Romanos,

[5]) Affero Vergili georg. I 7–8. 147—149. cul. 135—136. et Ovidi ipsius a. a. I 621—622. met. I 104—106. 123—124. fast. I 676.

[6]) Cf. Tibull. c. I 10, 45–50. 67–68. O. Ribbeck, Geschichte der römischen Dichtung. II pag. 34.

non de Graecis. Desunt quidem testimonia quibus probetur id cognomen a Graece quoque Cereri inditum fuisse.[7]

Quod fastorum prooemium Graeco quodam e fonte petitum et coloribus aliunde advocatis perornatum repetitur in metamorphosesin coartate et variate. Ordinem enim munerum confundit poeta Vergilium secutus, qui (georg. I 147 sq.) similibus usus verbis primum de arando (147), deinde de victu loquitur et frumento (148 sq.):

»prima Ceres ferro mortalis vertere terram
instituit, cum iam glandes atque arbutae sacrae
deficerent silvae et victum Dodona negaret.«

Praeterea Ovidio ante oculos fuisse videtur Vergili georg. II 513:

»agricola incurvo terram dimovit aratro.«

Θεσμοφόρος denique dea aptius celebratur in metamorphosesin (V 343), ubi de Cerere Graecorum, quam in fastis, in quibus de Cerere mentio fit a Romanis publice culta.

Quod utrumque prooemium pertractatum in huius libelli parte posuimus non quo ipsis a fabulis videtur nobis seiungendum Cerealibus, sed quod *utriusque exemplo demonstramus qua via quaque ratione investigari in animo habeamus earundem fontes.* Quod utrumque exordium potuit declarari ex uno fonte brevissimo sumptum et ornamentis orationis aliunde allatis amplificatum. Nam alieni loci et Ovidi ipsius et aliorum poetarum Latinorum adduci, ut illud plane intelligatur utrumque, partim potuerunt partim debuerunt. Sed hoc loco fons est traditus (sc. apud Diodorum l. c.), unde possis proficisci ad Ovidiana, in quibus eius res inveniuntur facile comparando, prooemia. Qui cum desideretur ipso in mytho, incipere oportet nos quaerere a libris,

[7]) cf. O. Kern in encycl. real. Paul.-Wissow. s. v. Demeter VII: Kultnamen der Demeter.

qui extant (sc. Ovidi), et progredi ad libros, qui non extant (sc. fontis), — quantum vires valent.

De raptu redituque Proserpinae ab Ovidio relatis recte sicuti supra memoravimus iudicatum est utramque narrationem evenisse de uno fonte. Nec non novis probabimus testimoniis quam mire fastorum et metamorphoseon fabulae Cereales se ipsae compleant, quomodo alterius res in altero aut ut notissimae plane omittantur aut brevissime afferantur aut partim rebus partim verbis amplificentur singulis ita ut de universo consentiant. Quod perspici non potest nisi conicis utramque narrationem poetae fuisse *unam rerum imaginem.* Sed uni narrationi nihil subesse potest nisi unus fons, cuius aquas huc illuc bipartitas metamorphoseis complectantur fastique. Sin autem sicuti ea prooemia ita Cereales et ipsae fabulae Ovidi uterque quasi rivulus ortae sunt de uno eodemque fonte, nonne fastorum et metamorphoseon res cautissime coaptatas posse censes praebere imaginem speciemque quandam fontis desiderati? Nam ipse fons non pervenit ad tempora nostra. Nostrum igitur iam est utriusque fabulae argumentis comprobare quam firmissimis unam imaginem apud Ovidium, deinde cognita satis ea re fabularum partes dispersas in unum conglutinare, denique in forma unius quae orta est narrationis ad fontem a Nasone adhibitum quaerere vestigia.

Incipit enim utraque raptus narratio a Trinacriae forma. Fasti (IV 419—420) addunt quicquam metamorphoseon verbis (V 346—355). Nam hic insulae forma a fabula quadam (sc. Typhoei), illic a forma derivatur nomen (fast. IV 420: «a positu nomen adepta loci»). Sed cui haec diversa sunt? Nomen enim loci locique fabula

nomini subiecta apud veteres habentur coniuncti nec raro inveniuntur in scriptorum libris. Exemplum mihi in mentem venit Euboeae (Strab. 445 Casaub.) Lesbi (Diod. V 81) Liparae (Diod. V 7). Sed nonne in lacum portamus aquam? Res enim et caecis mihi videtur patere.

Quo incautius est primo aspectu ea quae in metamorphosesin (V 356—384) de Dite ab Amore vulnerato afferuntur fonti fastis et metamorphosesin communi adscribere ut partem genuinam. Eius rei quamquam causae desunt gravissimae, quod in raptus narratione amor ita est ut non oporteat eum afferre, sed ne describere quidem dilucide. Nam qui puellam rapit, eum adurit fere Venus sive meliore flamma sive erubescenda. Sed inspicias, quantopere Jovis verba inter se consentiant metamorphoseon (V 523—529) et fastorum (IV 597—600), quam in utroque loco iniuriam raptoris similiter excuset deus paternus. Nonne in fastis brevissumum hoc:

» . . . factumque excusat amore« (f. IV 597)

offensionem habet, nisi largioribus de fratris vulnere verbis antea factis — ita ut in metamorphosesin (V 356—384) — lectorum animi satis praeparati patris excusationem comprobant perspectam? Nam in prioribus fastorum versibus de amore nequaquam mentio fit ne uno quidem verbo. Nec minus si novimus raptum Proserpinae simillimo modo quo in metamorphosesin[8] incipientem narrari, nonne et in fastorum libris quaerimus plura de patruo, qui tam necopinato virginem videt visamque rapit, narrata? Quibus omissis equidem censeo fastorum narrationi nonnihil inesse obscuri, sed sole fieri clarius, si Ditis vulnerationem in metamorphosesin relatam et fastorum narrationi in animo fingimus praepositam. Itaque hoc loco cum fastos compleant metamorphoseis, ea quae Diti sunt cum Amore (met. l. c.) propria pro fabulae forma quis habebit? Sed hercle sunt fontis de quo agimus communis. E quo sunt traducta in metamorphoseis, omissa in fastis, quorum narrationem poeta refert ad metamorphoseis suis verbis (fast. IV 417. 418), apud lectores quasi notissima.

[8]) fast. IV 445: «Hanc videt et visam patruus velociter aufert.»
met. V 395: «paene simul visast dilectaque raptaque Diti.»

Qua de causa Plutonis amor praetermittitur in fastis, depingitur in metamorphosesin. E contrario se habent in utroque carmine ea quae sunt de Cerere Proserpina Henna. In fastis enim dilucidus vitiisque carens conspicitur rerum conexus (fast. IV IV 421 sq.).[9] Ubi quid offendit? Nihil, puto: Siciliae enim, gratae ei sedis, praeter urbes quas possidet multas Ceres amat Hennam. Unde divae sevocatae filia cum aequalibus per prata oppidi errans in vallem venit floribus abundantem. Ex iis dum decerpit, rapitur et a matre domum reversa aequaliumque clamoribus accita quaeritur.

Quae eadem res quomodo effícta spectatur in metamorphosesin? Naso, qui antiquissimo usus more (cf. Classen-Steup[4.] ad Thuc. I 24,1) fabulae haud raro ducit principium ab eius loco depingendo (a. e. met. I 567), eundem adhibet hic quoque cum incipit (met. V 385):

»Haud procul Henaeis lacus est a moenibus altae,
nomine Pergus, aquae . . «

[9]) (Trinacris)
grata domus Cereri. multas ea possidet urbes,
in quibus est culto fertilis Henna solo.
frigida caelestum matres Arethusa vocarat:
venerat ad sacras et dea flava dapes.
filia, consuetis ut erat comitata puellis,
errabat nudo per sua prata pede.
valle sub umbrosa locus est aspergine multa
. . . .

Eam in regionem Proserpinam venientem ibique fingit studio delectatam inani. Ita fit ut Ceres Hennam relinquens dilectissimam, filia incustodita, Hennae mentio separata a raptus loco denarrando omittantur in metamorphosesin. Nisi fastorum IV 421—426 assumis, nescitur in metamorphosesin quid sit Proserpinae cum Henna, qua re amata a filia, cum rapitur, mater plane absit. Sed cum usus eris fastorum versibus supra communicatis commentari loco, facile comprehendes quae reprehendisti. Libera enim in pratis ludit Hennaeis quod eius sunt (fast. IV 426). Ceres autem auxilium non fert quia aliunde erat vocata (fast. IV 423—424). Quae cum ita sint, quem ad modum in superiore huius libelli parte sic iam rem fere intellegis se habere. Nam altera quibus praeponderat narratio, iis eget quo melius perspiciatur altera.

At in altero carmine mihi opponis alterum fictum esse raptus locum. Concedo id difficultatis habere aliquid, sed solvendae nondum videtur occasio.

Anthologiae vero quae audit videamus iam descriptiones quarum est conspectus illustrior. Versuum numero fastis (IV 425—442) cedunt metamorphoseis (V 391—394). Qua e re primo efficere potes aspectu, ut utrumque florilegium aut e diverso promptum sit aut ex uno fonte, cuius plus in fastos minus in metamorphoseis fluxit rerum.

Quae dissolvetur facile quaestio, si ad flores flexeris nomine ipso memoratos. Proserpinae enim comites carpentes finguntur calthas violas papavera hyacinthos amarantos thyma rores (casias) melilotos rosas. E quibus nonnullae herbae inveniuntur et aliis locis seu Nasonis ipsius simillimo ordine coniunctae seu alieno-

rum poetarum Latinorum.[10] Quorum libros cum Ovidius saepissime volverit (am. I 15. trist. II 421 sq., etiam a. a. III 329 sq.), verisimillime dicas fastorum florilegium Nasonem eorum memoria adiutum depinxisse suo ingenio. Quae si constat sententia, metamorphoseon verba (V 393—394) hoc fastorum loco diduxit poeta sua licentia. Nihil igitur et in florilegiis ad duos fontes spectat proprie adhibitos.

At hoc loco altera discrepantiuncula, quae est de floribus ipsa a Proserpina carptis (met. V 392. fast. IV 442), extat.

Raptus contra ipse narratur in metamorphosesin (V 395—437) fusius quam in fastorum libro IV (443—450). Qui versus poscere paene videntur aliunde refectionem. Nam is locus cum sileat de Ditis via et descensus regione discrepat a diligentia, qua Cereales fabulae explicantur terrarum ordine, in fastis adhibita. Sed plena fit sibique congruens et fastorum narratio, si ei quibus eget, inculcas e metamorphosesin.

Quae ut in fastos ita in metamorphoseis, quo sit apertior conexus rerum, inserenda debet putari absentia puellarum ipso a Proserpinae raptu ex altero carmine. Si enim praesto fuissent, matri potuissent fieri raptus nuntii. Quod cum poeta repudiaret, nullam comitem Proserpinam casu secutam (fast. IV 444) in

---

[10]) Calthas, violas, papavera, hyacinthos, casias flores oratione colligatos reperis apud Vergilium ecl. II 45—50.

»huc ades, o formonse puer: tibi lilia plenis
ecce ferunt nymphae calathis; tibi candida nais
pallentis violas et summa papavera carpens,
narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
tum casia atque aliis intexens suavibus herbis,
mollia luteola pingit vaccinia caltha.«

Vaccinium enim = hyacinthus (Colum. X 100. 305.)
Praeterea assumi licet met. X 191:

»ut siquis violas riguove papaver in horto.«

Denique si mecum non casiam, sed rorem (fast. IV 440) recta habes pro voce, conferas Vergili ecl. V 77, quem, quamvis praebeat alienum sensum, adscribam:

»dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae.«

metamorphosesin non dixit, sed — quis negat? — cogitavit. Cui hoc metamorphoseon (V 397. 398):

»et matrem et comites, sed matrem saepius, ore clamat. . .«

apparet haud obstare.

A Proserpinae vero raptu ad matris errores referendos transitus fit in fastis per comites quae Cererem advocant clamoribus (IV 451 sq.). Idem subfuisse videtur et metamorphoseon narrationi. Apparet quidem cur sit hic omissum. Cyanes enim fabula, quod erat metamorphosis, in metamorphosesin largissime tractatur (V 409—437). Qua re lectorum animi deversi sunt a comitibus, de quibus multa verba facienda poeta spernat sicuti antea (met. V 394. 397). Ita declaratur illud „interea“ (met. V 438) res conectens ieiunissime.

Cuius cum transitus tum ipsorum errorum Cerealium fasti offerunt novas res (IV 451—574). Metamorphoseon autem ἡ πλανή quae appellatur nimia offendit brevitate (met. V 438—463). Sed quid impedit ne utramque narrationem cognoscamus eandem hic brevius illic longius explicatam? Nam facile Stellionis fabula fastis fastorumque descriptiones quamvis extentissimae verbis metamorphoseon (l. c.) inseruntur sine rerum mutatione. Ergo duo fontes non debent conici duabus errorum relationibus.

Quibus rebus cognitis iam citius ad calcem licet currere. Primum quidem terties est notanda diversitas rerum. Nam in metamorphosesin Proserpinae cingulum summis in Cyanes undis apparens et Arethusa raptum narrans produnt proditorem (V 464—508), sed fasti Solem habent nuntium (IV 575—584). Sed postea sibi adpropinquat utrumque carmen (met. V 509 sq. fast. 585 sq.) ad verba paene.

Pulcherrime enim depingitur in metamorphosesin matris dolor nuntio accepto primo tacitus, deinde ad amentiam progrediens (met. V 509—513). Fasti (IV 585—586) referunt idem brevius Vergilio (georg. IV 320) verborum auctore (cf. Peter. l. c. ad IV 586). In utroque vero carmine (met. V 514—517. fast. IV 587—588) Ceres Tonantem adfata plane premit eius necessitudinem cum Proserpina, qua commoveat, ut voluntati eius obtemperet, patris animum. Quo dicto Jovem, qui videtur raptam haud nescire, certiorem facit commissae vestigia iniuriae se invenisse orbe pererrato (met. V 518—520. fast. IV 589—590). Deinde ostendit in metamorphosesin de raptu raptoreque quid sentiat (met. V 520—521), ostendit in fastis (IV 595—596) (cf. Ehwald l. c. ad V 520 sq. Peter l. c. ad IV 596). Simillima ratio est si comparas met. V. 521—522 cum fast. IV 591—592 (cf. Ehwald l. c. ad V 520 sq. Peter l. c. ad IV 591). Ergo quod Ceres cum Jove collocuta dicit, idem fere fictum est in metamorphosesin et in fastis. Id non revincitur nec si opponis rerum ordinem in fastis confusum metamorphoseon[11] nec si novos versus fastorum (IV 593—594). Qui variant metamorphoseon res haud ita eleganter.

Etiam Juppiter Cereri respondens in fastis (IV 597—604) adstrictius narratur quam in metamorphoseon libro IV (523—532). Hic Jovis verba bene conveniunt Cereris querelis, nam primum se patrem agnoscit, (met. V 523—524), deinde ut excuset factum amorem profert (met. V. 524—526) et genus potentiamque raptoris (met. V 526—529), denique defert eam causam ad

[11]) met. V 509—513 = fast. IV. 585—586
„ „ 514 517 = „ „ 587—588
„ „ 518—520 = „ „ 589—590
„ „ 520—521 = „ „ 595—596
„ „ 521—522 = „ „ 591—592

Parcas (met. V 529—532). Fasti ea quae sunt in metamorphoseon V 523—524, cum sint perspicua, praetereunt silentio. Sed et hic iniuria purgatur amore (fast. IV 597) laudaturque Pluto largius quidem, sed nulla re addita (fast. IV 598—600) (cf. Ehwald l. c. ad V 525). Eveniunt quoque uterque sermo eodem (met. V 529—532. fast. IV 601—604). Quae verba tantopere congruunt cum metamorphoseon earum res ut levissimae distrahantur (»cupido discidii« met. V 529. 530 = fast. IV 601—602), gravissimae contrahantur ad obscuritatem usque. Nam in fastorum IV 603—604 non agitur de consilio ipsi Jovi capto id quod eum qui metamorphoseis neglegit, docent fasti. Sed Juppiter enuntiat quod Parcarum foedere cautum est (cf. met V. 532. Ad rem Ehwald l. c. ad V 529. Peter ad l. c. IV 607).

Sed venio ad Ascalaphum (met. V 533—550. fast. IV 605—608). Cuius transfigurationem si fastis immiseris, non mutabis fabularum conexum, sed — sicut primus aspectus docet — complebis. Ergo res ut supra se habet. Nam omnia optime inter se consentiunt, si conicis metamorphoseon voci: «educere« (V 533) subiectum esse Mercurium, non Cererem.[12] At granorum numerum, qui differat inter met. V 537 et fast. IV 607, memoria retineas.

Interea reducere velim tibi in animum idem esse in utroque carmine Jovis arbitrium (fast. IV 609—618. met. V 564—571). Sed in metamorphosesin propter Sirenum fabulam aliunde inspersam Cereris maeror tristissimo e nuntio ortus depingi non potest, sed significatur sola voce »maesta« (met. V 564. 569) nudissima. Eadem de causa nascitur obscurum aliquid. E metamorphosesin enim Tonantis consilium conspicitur voluntarium, non

[12]) Aliter Ricardus Foerster, Raub und Rückkehr der Persephone. Stuttgart 1874 pag. 86, adn. 2.

inopia adductum. Cui fasti (IV 609 —614), quorum conexus non rebus disturbatur spuriis, lumen adiciunt. Denique Cererem animum recepisse utrumque fingit carmen (met. V 568—571. fast. IV 615—616) (cf. Peter l. c. ad IV 615). Quo addunt fasti finitae mentionem frugum calamitatis, cuius initium non in fastis, sed in metamorphosesin invenitur commemoratum (met. V 474—486). Jam ad finem perducta videtur utriusque poematis comparatio. Triptolemi enim fabella — fast IV 619—620 et met. V 572—641 hoc loco cum sint aliena omitti possunt — quae metamorphoseon Cerealibus addita est (V 642—661), se' accommodat aptissime ad unum quod utrique narrationi subest consilium. Concedes si inspexeris fastorum IV 559—560.

Ergo una narratio, unus fabularum cyclus. Quo melius uno quasi conspectu possis eam concinnitatem unitatemque nimiis argumentis probatam intellegere, adpinxi hanc tabulam, quae non omnes in singula usque, sed gravissimas res et fastorum offert et metamorphoseon:

Tabula

met. V 241—261. (Riese).	fast. IV 393—620 (Riese).
341—345 index munerum Cerealium.	393—416 index munerum Cerealium. Nonnulla intersunt quae pertinent ad fastorum consilium.
346—355 Siciliae fabula nativa.	419—420 Siciliae positus nomen[que.
356—384 Dis tracto amore prope ad Hennam venit.	
	421—426 Ceres Henna ex oppido gratissimo ab Arethusa vocatur. Filia incustodita errat per campos.
385—391 raptus locus describitur.	427—430 raptus locus describitur.
391—394 anthologia.	431—442 anthologia.
	443—444 Proserpina sine comitibus.
395—396 raptus Proserpinae.	445—446 raptus Proserpinae.
396—401 Proserpina tristissima.	447—448 Proserpina tristissima.
402—437 raptoris fuga et descensus.	449—450 raptoris fuga et descensus.

Cyanes fabula.	451—452 comites Cererem adclamant.
	453—466 errores Cereris circa Hennam.
438—463 Cereris errores toto orbe (Stellionis fabula).	467—494 errores Cereris in Sicilia. 495—562 Ceres in Atticam et in Attica. 563—574 Ceres in reliquo orbe.
464—470 Ceres nuntium quendam accipit filiae.	575—582 Ceres nuntium quendam accipit filiae.
471—486 ira repetita fruges vitiatas facit.	
487—508 raptum comperit.	583—584 raptum comperit.
509—530 colloquium Cereris Jovisque in caelo.	585—602 colloquium Cereris Jovisque in caelo.
531—532 Parcarum foedus.	603—604 —
533 —	605—608 Mercurius nuntiat Proserpinam gustasse grana.
534—550 Ascalaphi fabula.	
	609—612 Cereris minae.
561—567 Jovis iudicium.	613—614 Jovis iudicium.
568—571 Ceres animum recipit.	615—616 Ceres animum recipit.
	617—618 Ceres reddit terris fruges.
642—661 Triptolemi fabula.	

Qua tabula intentissime aspecta nonne mihi denuo assentiris firmanti alteram narrationem sine altera incompletam, sed utramque completam esse, si alterius res in alteram immisisti. Itaque conemur unam quam statuimus narrationem facere adnotatis simul omnibus rerum discrepantiis. Quo uno modo quamquam ad singula usque certa firmari non possunt, veri fontis, quem Ovidius adhibuit, formae possumus adpropinquare. Haec est:

Trinacris nomen accepit et positum superbo Typhoeo subiecto. Dicunt enim eiusdem in corpus volutam esse insulam ita ut Aetna mons caput, Pelorus dextram Pachyneque laevam manum, Libybaeum crura premant. Tamen monstrum flammam harenasque vomit. Quibus perterritus Pluto exit ut motus causam cognoscat. Sed ab Eryce Venus invisum conspicit per filiumque incitari iussit ad Proserpinae amorem. Quo tracto Dis venit prope ad Hennam.

Henna praeter reliquam Trinacriam sanctissima est Cereri et Liberae. Qua exierat mater ab Arethusa ad sacras dapes vocata. Interea filia cum consuetis comitibus errans per rura it ad pratum aquosum cygnosum silvestre floridum semper vernum (aut in vallem umbrosam aquosam floridam), ubi ipsa aut violas aut lilia aut crocos legit. Subito Dis ab Amore incensus venit vidit rapit deam, quam forte comites non sequebantur. Cum invita terram invadit per fontem Cyanes, quae laesi iuris dolore extenuatur in aquas.

Interea clamoribus comitum, quae iam anxiae amicam sequuntur deam, accita Ceres, quae modo venerat Hennam, et ipsa filiam quaerit. Primum errat per Hennaea loca, sed plantae vestigia iam inventa sues deleverunt. Deinde rapitur totam per Siciliam; narrant etiam eam pinus geminas ex Aetna accendisse. A Trinacria curro anguineo devenit Ceres anum simulans in Attica rura ubi postea Eleusis fuit. Primum sedet immota saxo, quod etiamnunc vocant ab eius tristitia. Sed ea rura fuere Celei senis, qui pauperrimo victu cum familia vitam degit. Qui cum de campis filiola comite fructus non mites portans domum redeat, deam videt visamque rogat ut casam subeat. Aliquamdiu cunctata Deo senem subsequitur et cum ab eo nuntium acceperit Triptolemum (is Celeo filiolus erat) aegrotum esse, papavere collecto, quod ipsa oblito palato gustat, intrat limen. Salutata Metanira (id enim erat nomen matri) sanat filium eius oris vigore caelestis. Epulas a laetis parentibus positas respuit, sed Triptolemo dat, ut somnis carentem sanet, papaver. Eundem cum velit immortalem reddere, noctu clam in igne, qua sumat onus humanum, obruit. At mater somno excussa infantem

rapit de favilla. Moto stomacho Ceres draconibus abit, sed aeternum beneficium Triptolemo se tributuram promittit.

Deinde quaerit per ceteras orbis universi terras. Inter viam tradunt etiam deam errantem ad anum aliquam venisse potionemque petivisse ab ea, quae ei data est. Sed ani filius illusit Cererem propter nimiam bibendi cupiditatem. Qua re irata a Cerere in stellionem mutatur.

Denique in Sicaniam reversa zona Liberae in Cyane fonte spectata nuntium quendam amissae accipit. Qua Demeter furore incensa vitiata facit cum ceterarum terrarum tum Trinacriae semina. Sed Arethusa quae Plutonis fugam vidit raptorem prodit misericordia commota insulae amatissimae.

Sed alii dicunt Cererem, cum non reppererit fetum ab Helice petivisse auxilium. Sed quae ea non indicere potuit, Cereri Sol indixit.

Tristissimo accepto nuntio in caelum properat ad maritum ut accuset Plutonem raptus. Cuius amorem profert Juppiter, sed cum nolit coniux Diti filiam dare in matrimonium, mittit Mercurium, ut si ieiuna manserit, educat, si non, ibidem sinat Proserpinam. Nam ita voluit Parcarum foedus. Sed Atlantiades refert Liberam in Tartaro gustasse septem (aut, sicuti alii tradunt, tria) malorum grana Punicorum. Quod qui prodidit, Ascalaphum in bubonem mutaverat filia Cerealis. Sed mater, cum nolit ea carere, minatur et ipsam se Proserpinam secuturam esse. Quo commotus Juppiter dividit annum volventem inter Cererem et Ditem ex aequo. Gavisa Deo reddit terris fruges antea negatas et Triptolemum emisit eundem in usum.

Ita una narratio facta est, sed unde sumpsit Ovidius narrationem? Eam quaestionem movere auctori

cuidam doctissimo[13] supervacaneum fere videtur, scilicet cum, quia Romani iam a pueris Cereris Proserpinae Ditis fabulam acceperunt, Naso suam e memoria ingenioque ei videatur composuisse. At ipsa ea fabula apud Romanos pervolgata, quam praebet Cicero (in Verr. IV 106 sq.), Ovidio oppugnat haud mediocriter. Qui cum habeat fabulae formam plane propriam, propriae fabulae subesse proprium fontem coniciendum est.

Largissime enim Ovidiana in narratione rediguntur ad causas Plutonis exitus (ad Typhonem terribilem) et amor (ad Venerem Plutoni infestam). Sed Aetna mons super Typhonem poenae causa iactata iam apud Aeschylum (Prom. 363 sq. Weil) et in Pindari carminibus (Ol. IV 5 sq. P. I 15 sq. Schroeder. schol. Ol. IV 11 a Dr.) invenitur; invenitur tota Sicilia super Typhoëa ficta apud eundem poetam (P. I 19—19 b. cf. schol. Pind. P. I 31 Boeckh) nec minus cogitationes quae sunt de positu monstri sub insula vincti (Pind. P. I 19—19 b. 27 sq. schol. Pind. P. I 52 B.). Quae omnia cum iam in Pindari odis extent, etiam id quod in metamorphosesin V 346—352 depictum vides multo ante Ovidi aetatem inventum esse conicimus, quamquam testis deest. Gigantem (Ovid. met. V 346) ex Aetna ignes evomere idem finxit Pindarus (P. I 21 sq.); cum ignibus et harenas (met. V 352) eiectari testantur Diodorus (bibl. V 7) et Justinus (I 8).[14]

Sed de Typhone hactenus. Quid censes de Plutone? Inferorum enim rex clamoribus supra caput factis spectatur perterritus iam in Homeri Iliadis Y 61-63:

---

13) Ehwald l. c. ad V 385—408: „Ovid hat die schon zu Ciceros Zeit in Rom allgemein gekannte (s. Cic. in Verr. 4,106 ff.) Erzählung vom Raub der Proserpina, **wenn überhaupt nach einer besonderen Quelle, nach einem mythologischen Handbuch gegeben.“**

14) Utrumque eum scriptorem e Timaei libris hausisse constat. Cf. J. Geffcken **Timaios' Geographie des Westens. Philol. Unters.** XIII (1892) pag. 63—121. 123.

»ἔδεισεν δ'ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀιδωνεύς,
δείσας δ'ἐκ θρόνου ἆλτο καὶ ἴαχε, μή οἱ ὕπερθεν
γαῖαν ἀναρρήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων.«

(Tryphiod. A. I. 570 sq. cf. R. Heinze Virgils epische Technik pag. 51 sq.). Ut autem in Ovidi metamorphosesin (V 356—358) ita terrorem Plutonis vides pugna inter Typhonem et Jovem commissa exortum esse fingitur in Hesiodi theogonia 850 (cf. Wilamowitz Eurip. Heracl.² II pag. 259):

»τρέε δ' Ἀΐδης, ἐνέροισι καταφθιμένοισι ἀνάσσων.«

Ita Dis a Typhone clamante anxius apparet in carminibus vetustissimis. Sed cum talibus inimicitiis Aetnae montis coniuncti non testes sunt nisi posteriores, quos hoc loco silentio non praeteream. Aetneas voces enim diis terrorem inicere narratur in eo carmine quod vocant Aetna (203 sq. S.). Res vero Plutoni facta est cum Encelado, qui Callimacho auctore (schol. Pind. O. IV III c Dr.) interdum agit Typhonis vices, in Claudiani carmine de raptu Proserpinae facto, cuius res fabulares ortae videntur saeculo II. p. Chr. n. (Foerster I. c. pag. 95). Attamen Plutonis exitui causae subsunt antiquissimae neque aliquid adducit, ut eum Ovidio adscribamus.

Idem fere dici potest de origine amoris Plutonii (met. V 362—384) narrata. Neque enim ignota videtur Venus Diti infesta. Nam utriusque animi adversantur sibi muneraque. Etenim Pluto habetur deus sterilitatis et tristitiae et mortis. Sed Venus fertilitati gaudiis vitae favet.[15] Ut vero universe ita iam in raptu Proserpinae exponendo multo ante Nasonis tempora Venus ficta est exosa et fallens Jovis fratrem. Certissime testatur Sophocles (Trach. 500—501):

»(ά Κύπρις)καὶ ὅπως Κρονίδαν ἀπάτασεν, οὐ λέγω,
οὐδὲ τὸν ἔννυχον Ἅιδαν.«

[15]) Cf. Hesiod. th. 194—206.

Unde venio ad Proserpinam. Quae dissidet a Venere, scilicet cum sit ipsa castissima. Neque enim agitur hoc loco de Erycina virgini irascente, cum iniuriam ab ea acceperit (Apd. bibl. III 184—185). Tamen ex hoc (met. V 378—379):

»at tu pro socio, siqua est ea gratia, regno
iunge deam patruo.«

concludi oportet, si totius eventum fabulae assumis argumenti loco, et Proserpinam sub potestatem ab Amore redactam in poetae animo fuisse, quamquam de puellae vulneratione verba non sunt. Idem significat Euripides his verbis (Hel. 1322 N.):

»θυγατρὸς ἁρπαγὰς δολίους«

Igitur Proserpina a Venere sive Venereo iuvene in amores inducta fingitur in Graecorum mythis. Jam Ricardus Foerster (I. c. exc. V) contendit fabulae extitisse formam, ubi et Venus et Minerva et Diana factae fuerint Coram fallentes. At nemo furtivas noctes dat nisi Venus; nam dea praeest amori. Eiusdem ipsius rei testis est Claudianus (r. Pr. I 214—231). Quo loco cum Minerva et Diana apud Paphiam sint et hoc (Orph. Arg. 1198): »ἐξάπαφον συνόμαιοι« constare demonstraverit Foerster (I. c.), nonne assentiemur ei viro doctissimo? Minime. Sed conicere debemus utramque a Jove cum Venere ad Proserpinam missam fingi, ut quod essent virgines, suspicionem illecebrae a dea δολοπλόκῳ (Sapph. frg. 1,2) sumerent (cf. Claudian. r. Pr. I. c.). Qua re cum Veneris comites Proserpinam securam reddant insciae, favent eius coeptibus. Itaque aliquo modo deceptrices potuerunt appellari et ab ineptissimis artificibus fingi imaginibus (Foerster I. c. pag. 282). Attamen quam non re vera fuerint, eo optime demon-

stratur quod vi raptori obsistunt (Euripid. Hel. 1315-1318? cf. Foerster l. c. pag. 51. Claudian l. c. II 205—246 e. a.).

Apud Ovidium ea fabulae forma non potest esse. Nam Venus in Eryce monte sedens apparet nec Jovis consilio omnia ita moliuntur ut illic. Fortasse fonti auxiliari a Nasone sumpto adscripta fuit ea fabula, qua re Minervae mentio Dianaeque ab eo facta (met. V 375) declaretur. Nec vero ineptum videtur conicere eandem utramque deam non quod a Jove missae, sed quia erant consuetae puellae comites (Ovid. fast. IV 425), cum Proserpina ludentem fontis Ovidiani iam hunc locum tenuisse (cf. Ehwald l. c. ad V 375. Diod. V 3,4—4,1). Probabile quidem, non certum est.

Facillime autem et alio modo dearum memoria (met. V 375) potest orta. Agitur enim in eo versu de virginibus divinis. Quas haud ita difficile numero comprehendere. Excepta enim Proserpina sunt Minerva Diana Vesta (hymn. in Venerem 7—32) Sed Vesta in fabulis veterum poetarum raro, Alexandrinorum haudquaquam fere apparet. Ergo Nasoni, si voluit fabularia exempla offerre divinae virginitatis id quod in narrationis conexu explicando (met. V 346—384) non habet mirum, nullae praesto fuerunt nisi Minervae et Dianae. Qua de re versum metamorphoseon V 375 sine fonte assumpto potest fecisse Ovidius.

Denique cum velimus omnia elementa huius exordi redigere ad Graecum, quaestio nobis extat ultima, utrum ante Ovidi tempora et res sit in scriptorum libris Cereri quae Siciliam possidet (Diod. V 2,3. Ovid. fast. IV 421), cum Typhone qui ei minatur motibusque filiae raptorem Cerealis elicuit, necne. Quae quidem fuerit non possumus demonstrare testimoniis. Conici vero

eam licet inter utrumque deum, cuius alter insulam servare, alter vult delere, praesertim cum culta sit Ceres apud Aetnam[16], sub qua Typhon fuit iam Pindareus. Possunt eorum simultates esse vetustissimae. Nam fortasse iam in Lydia[17] aut in Cilicia ortae sunt, tamen Typhoeus coniunctus cum Proserpinae raptu nihil habet ineptum.

Ita Ovidianae fabulae, in qua tota narratio quasi crescere videtur e Typhonis rumoribus odioque Veneris, Graeci satis fecerunt. Qua re cognita nunc de compositione poetica pauca dicemus. Neque enim Amoris ministerium (met. V 364 sq.) Naso primus carmini mandavit, sed petiit exemplum de Alexandrinis poetis (cf. Mallet Quaest. Propert. pag. 15—19). Cupidinem vero et deorum capita impositis prementem pedibus iam tragici Graecorum fecerunt poetae (cf. Ehwald l. c. ad V 371). Easdem denique quas in eo Ovidiano carmine vices agens Amor conspicitur multis locis, quos collegit Ervinus Rohde (Griech. Roman pag. 149 adnot. 4). Itaque nihil habemus cur eam rem non tribuamus fonti Ovidiano. Neque Aetna Eryx Henna, quibus locis quamvis magno intervallo distantibus haec fabula haeret, oppugnant nobis eiusdem unam originem conicientibus. Sed cum Posidonius verbis coniunxerit Syracusas Erycem Hennam (cf. Strab. V 273 Cas.), nonne carmine ligari possunt et Aetna Eryx Henna? Igitur principium, quod praeponit fabulis Cerealibus Ovidius (V 346—384), *non revocari licet ad originem Ovidianam, sed artissime cum virginis raptu narrando cohaeret ea narratio,* qua Plutonius amor per Typhonem iam victum natus depingitur — sicuti fere alio modo in Claudiani carmine (I 32—121). Ac singula amplificavit poeta aliis coloribus:

[16]) Cf. Kern l. c. § 29. § 47.
[17]) Cf. Kern l. c. § 34. — Strab. XIII 626 Cas.

Plutonis enim metum Vergili VIII 243 sq. (Ehwald l. c. ad 358), Plutonis exitum vulnusque A. met. II 401 sq. et I 468 q. (Ehwald l. c. ad 359—384), Venerem Amorem allocutam Vergili A. I 664 sq. (Ehwald l. c. ad 365), Amorem vulnerantem met. 463 cf. Apoll. Rhod. III 298 (Ehwald l. c. ad 383). Sin autem poetarum allatis locis adductum Nasonem singulas suae narrationis res *sua fortuna* contendis *fecisse*, ei adscribis nimiam neque alicubi in eius libris inventam inventionis diligentiam hoc metamorphoseon loco, ubi operis consilium inventionem videtur non postulare. Nam metamorphosis haud extat in met. V 346—384.

Unde transgrediamur ad raptum Proserpinae ipsum! Cuius utraque narratio supra invenitur compacta in unam seriem rerum brevissimam (cf. pag. 48). Jam eius res indidem ducere originem, unde prooemium venisse videtur, sine mora coniceremus, nisi Cereris abitus fictus et in Ciceronis (in Verr. IV 106 sq.) et Diodori libris (l. c.) desideraretur. Sed idem cum sit haud ita grave [18] omitti potuit ab historiarum scriptoribus. At noli oblivisci Claudianum id uberrime depinxisse (r. Pr. I 179—213). Qua de re concluserim divae discessum non neglectum fuisse et in libris Alexandrinorum qui vocantur poetarum. Ceterum [19] rerum ordo concinit cum Cicerone et Diodoro quam optime. Idem enim apud tres scriptores cum Trinacris (Cic. l. c. 106. Diod. l. c. V 2, 3. Ovid fast. IV 421) tum Henna (Cic. l. c. 107. cf. 111 Diod. l. c. 4,1. Ovid fast. IV 422. 426) aut Cereri aut Proserpinae aut utrique deae sanctissima. Raptus vero fit in silva Hennensi, quam descripsit Cicero (l. c. 107) et Diodorus (l. c. 3,3). Namque Arpinas Siculusque consentiunt de loco edito derectoque ab omni aditu. In summo est

[18]) Etiam in Ps-Homeri hymno non dilucide depictum videtur v. 39.
[19]) De Arethusa postea disseremus.

planities aeternis floribus et aquis abundans, cuius marginem silvae et paludes tenent. In planitie sita est et Henna oppidum et λειμών qui vocatur, ubi rapina fit. Neque eorum, qui locum descriptum viderunt (cf. Cic. l. c. IV 110), verbis occurrit Ovidi metamorphoseon V 385—391, sed lucem accipit delationibus illis accuratius confectis.

Poeta autem, cum cetera brevius narret quam illi scriptores, novum addit Pergum lacum, cuius undae carmina audiant multorum cygnorum. Ipsum lacum haud negari debet in fonte extitisse. Sed in cygnis haeremus! Qui, si Ovidium excipis, in ea aqua non memorantur. Ergo non verisimile videtur fontis fuisse cygnos. Quos si non de fonte, fortasse sumpsit poeta e sua memoria. Nasonis autem de itinere in Siciliam facto (ex Pont. II 10, 22 sq.) nihil fere constat. At fortasse Caystros flumen (met. V 386) profluxit de fonte Ovidiano. Caystrum vero, quicumque intellegitur, cum Nysa oppido coniunctum haberi auctor est Strabo (XIV 650 Cas.) gravissimus, qui ipse viderit oppidum regionemque (cf. Strab. l. c.). Atque apud Nysam Κόρης ἁρπαγή fuisse videtur cogitata (Strabo XIV 649 Cas. cf. Kern l. c. § 36). Quibus de causis potest conici Nasoni fontem complura raptus loca praebuisse: et Hennam cum Pergo lacu ceterisque et Nysam cum Caystro flumine et alia (cf. pag. 57). Quae cum legisset, Ovidio cum Caystro in mentem venisse videntur Caystri cygni, quos nemo nescit (Hom. B 461. Ovid. met. II 252, ad quem locum Ehwald l. c.). Et iis ad suum raptus locum ornandum libenter usus est poeta. Quis declarat aliter cygnos Caystri?

Ut metamorphoseon V 385—387 locum et aquas ita iam sequentes versus (V 388—391) sicuti Cicero Diodorusque (l. c.) memorant silvas flores ver aeternum.

Igitur eae res omnes debentur fonti cuidam. Sed ipsa fit descriptio orationis ornamentis coloribusque alienis adhibitis.[20] Idem multo largius quam vides in adnotatione, pandi potest quo dilucidius fiat id quod in animo habemus demonstrare. Nam cum Naso fabulas Cereales non possit hausisse de Latino quodam poeta, efficitur ut res et verba Ovidianae narrationis e diverso fonte sumpta sint. Quod vero, cum vellet res narrare secutus fontem quendam, aliunde sumpsit verba, sequitur ut ipse fons caruerit latioribus. Ergo videtur brevissimus fuisse.

Idem fere dici oportet de fastorum IV 427—428 sq.:

»valle sub umbrosa locus est aspergine multa
uvidus ex alto desilientis aquae . . .«

Quod cum metamorphoseon V 385—391 comparari non potest. Namque metamorphoseis raptum fingunt in monte (cum compleantur ut supra exposuimus Ciceronis Diodorique verbis), fasti in valle. At qui Ovidiana volvit carmina, haud difficile videt vallis descriptionem confectam esse ad celeberrimae quam Tempe vocant vallis exemplum. Adscribo metamorphoseon I 567—572:

»Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit
silva. vocant Tempe. per quae Penëus ab imo
effusus Pindo spumosis volvitur undis
deiectuque gravi tenues agitantia fumos

---

[20]) Affero ad hoc: »silva *coronat* aquas« (met. V 388) Verg. A. IX 380: »abitum custode *coronant.*« (cf. Ovid met. IX 335). — In met. V 388—389 Vergilianum (A. III 637 [cf. A. IV 6]: »Phoebeae lampadis instar.«) et Horatianum (c. II 15, 9--10: »tum spissa ramis laurea fervidos excludet ictus.«) videntur confusa. — Frigora frondibus data (met. V 390) iam habet Maro (ecl. I 52), idem ramos (A. V 71) pro ramis frondentibus (A. III 25). (cf. Horat. l. c.). — Denique Ovidi hoc: »Tyrios flores« (met. V 390 (M) praeparavit Verg. G. IV 54: »purpureosque metunt flores.« Inter utrumque locum est Ovid. met. IX 340: »Tyrios imitata colores.« —

nubila conducit summisque aspergine silvis
impluit et sonitu plus quam vicina fatigat.«

(cf. etiam fast. III 263—274). Cui si addis Tibulli II 3,72 (»in umbrosa valle« cf. Peter l. c. ad 427) et ad fastorum IV 429—430 reputas florum abundantiam iam in altero carmine laudatam (met. V 390) confersque metamorphoseon VI 65 (cf. Peter l. c. ad 430), facile concedes verba genio memoriaeque deberi Nasonis. Sed et vallem ipsam ab eodem inventam esse quis audebit contendere? Equidem non audeo, verum esse promptam contendo de encheiridio adhibito, ubi aut Demeae »ἐν νάπαις« (schol. Hesiod. th. 914. cf. Foerster l. c. pag. 16—17. Bloch in lex. Roscher. s. v. Kora.) aut aliud eius modi Hennae Nysaeque additum est tertium.[21]

De florilegio vero quae profert Ovidius, idem dicunt Cicero (l. c. 107, non suis quidem verbis) Diodorusque (l. c. V 3,4) et subest omnibus fere raptus narrationibus. Ac Naso ut ex fonte hauserit brevissimo, ex eo efficitur quod anthologiam fastorum sua fortuna conscripsit (cf. pag. 41—42). At quae de herbis a comitibus carptis, eadem contendi non licet, quamquam et violae et lilia (met. V 392) et croci (fast. IV 442) saepissime apparent apud Latinos poetas, de floribus ipsi Proserpinae lectis. Quod vetatur verbis, quibus utitur poeta, certissimis (met. V 392: »*aut* violas *aut* candida lilia carpit.« — fast. IV 442 »*ipsa* legit«). Praeterea refutatur et aliis testimoniis. Violae enim a Libera ante

---

[21]) Aetnaeae errore videntur evenisse valles. Sed pro vallibus Aetnae declivia intellegi debent raptus locus. Cuius vetustissimus auctor dicit: »ἐν Αἰτναίαισιν ἀιόσιν« (epitaph. Bionis v. 121. 122. Wilamowitz) (»ἐν Αἰτναίοισιν ἄγκεσι« coniecit Brunckius). Cf. Foerster l. c. pag. 15—16. G. Knaack Hermes 04 pag. 336—340.

raptum carptae haud raro memorantur. De hymno, in quo violas invenis ἐν παρέργῳ nominatas (v. 6), non suas (met. V 392) sumpsit Ovidius. Sed iidem flores nusquam fere desiderantur Cereris in fabulis Siculis (Foerster l. c. pag. 31). Apud Hennam vero crescentes memorat suis verbis Diodorus (l. c.). Cuius loci descriptio cum conveniat cum Ovidiana, concludimus violas, qua Henna, eadem origine extitisse. Nihil quidem coniectum magis adducit ad veritatem. Neque croci debent in dubio poni sive Attici sive Siculi sunt mythi. Cerealem enim prolem crocos carpentem poetas fecisse Atticos satis constat (cf. Foerster l. c. pag. 31 et imprimis, quo nemo gravior auctor, Vict. Hehn Kulturpflanzen und Haustiere pag. 223 sq.). Atque etiam Trinacridis campos eodem flore abundasse testatur Strabo (VI 273 Cas.). *Ergo haud inepte et ad Siculam fabulam refertur crocus.* Sed unde lilia, quae nominat poeta in utroque carmine? Hymnus quidem praebet (v. 428), sed sicuti violas inter alios flores. Quo melius mihi conicitur hoc: Dioscurides enim refert (IV 161) narcissum florem et λείριον nominavisse veteres (cf. Pauly. encycl. real. s. v. Narkissos adn. III). Quod cum constet, *potest hymni versio celeberrima* (cf. Foerster l. c. pag. 31) *ante oculos fuisse Ovidi.* Qua re et bis memorata facile declarantur lilia (met. V 392. fast. IV 442). Quae cum ita sint, non dubitamus contendere *eos quos modo tractavimus tres flores iam in fonte quasi floruisse Ovidiano.* Ubi utrum coniuncti (P. legit violas *et* lilia *et* crocos) an separati (P. legit violas *aut* lilia *aut* crocos) fuerint, incertum videtur. Posteriorem magis commendat coniecturam praeter Diodorum, qui violas affert solas, et hoc Ovidianum: »*aut* violas *aut* lilia alba carpit« (met. V

392) et tres illi flores in utrumque carmen dispersi (met.: violae, lilia. — fast.: croci, lilia.).

Quae vero sint consuetae comites (fast. IV 425) Proserpinae, non dignoscitur, cum Κόρα sicut omnes fere κόραι amicis abundaverit. De Minerva Dianaque (Diod. V 3,4) quod incertum dici potest, diximus (pag. 53).

At florilegium puellarum turbatur a Dite raptore. Et pulcherrimis coloribus[22] depingit Naso raptum Liberae a Cicerone (l. c. 107.) et Diodoro (V 4,2) brevissime relatum. Sed de Cyanae fabula interest inter poetam et scriptores. Ii enim fingunt Cyanam Liberae descensu natam, ille transfiguratam esse et interemptam. Qui difficiliorem, ii fabulam praebent faciliorem. Jam vero homo scripsit doctissimus: »Die Verwandlung kann Ovid erfunden haben« (Ehwald l. c. ad V 409—437). Haud discernitur plane ea quaestio. Etenim nec rationis auxilio noscitur, utrum forma mutatoria (Ovidi) an quae speciem magis praebet rationalem (Diodori), magis sit principalis — nam neutra prior esse non potest — nec qui eiusdem fabellae vestigia vult nancisci, ita abundanter instructus est testimoniis.[23] Verum hoc contenditur haud inepte: Si Cyanam aliunde[24] in Siciliam constat antiquissimis pervenisse temporibus, facillime conicitur Cyanen alienam virginem fontis, qui fuit apud Syracusas, deam factam, postea, cum Liberae raptus in Sicilia posita est, a Plutone violatam esse. Quo concesso Diodoreae fabulae intellegitur haud difficile ortus Euhemero auctore. Quam si nativam habes, ex ea metamorphosis vix nasci

---

[22]) Cf. quae R. Ehwald diligentissime adnotavit (ad. met. V 395 usque ad 437).

[23]) Cf. Stoll in lex. Roscher. s. v. Kyane et Fick-Bechtel Griech. Eigennamen s. ead. v.

[24]) Ex Italia (Diod. V 7—8) aut ex orientis regionibus (cf. Dositheum apud Plutarch. Par. 19. Holm Gesch. Sicil. I pag. 81—82).

potest.[25] Igitur Cyana virgine aliena posita, cuius rei gravissima argumenta videntur deesse, Ovidius eius fabulam mutatoriam potest praebere antiquissima aetate ortam, cuius formam posteriore ratione constructam tradat Diodorus. At iis, qui etiam Cyanes transfigurationem Nasoni ipsi adscribunt, non prius fidem habeo quam gravissima argumenta attulerunt.

Quibus ad certiora progrediamur! Altera enim parte fabularum Cerealium continetur Δήμητρος πλανή quae vulgo vocatur (cf. Preller-Robert l. c. pag. 761). Cui ab aliis aliae fabulae adfictae sunt permultae, e quibus Ovidius non paucas tradidit. Si vero omnes ad ovum volumus reducere errores, quos narrat Naso, quid inter se cohaerens speciem prae se ferat unius originis, quid peregrino spurioque habitu seriem disturbet conexumque rerum, oportet iam quaerere.

Quos enim fasti praebent, si comprehenderis omnes errores (IV 451—574), facile concedes quattuor esse: Hennaeos enim (451—466) Siculos (467—494) Atticos (495—562) per reliquumque orbem (563—574). Inter eos celeberrimi ipsi qui ad Atticam pertinent totius conexui narrationis occurrunt. Etenim nihil invenitur, cur eo properet (fast. IV 499—502) Ceres rectissima[26] fere via. Neque enim Attica deae gratissima nec praeter ceteras terras bonam spem reperiundi filiam proponens refertur a poeta. Quibus adde dracones frenatos brevissumo post sumptas pinus geminas[27] (cf. fast.

[25]) Non licet hoc loco Claudianum (r. Pr. II 61) auxilio vocari. Nam eiusdem poetae r. Pr. III 245—253 nimias similitudines habet cum Ovidi met. V 425—437.

[26]) Nam Syrtes (fast. IV 499) ortae sunt Vergili versu (A. VII 302): »quid *Syrtes* aut *Scylla* mihi, quid vasta *Charybdis* profuit?«

[27]) Quas cum ceteris rebus Siculis ex eodem fonte profluxisse brevi post videbis.

IV 489—498), quae ei qui monstra regit, haud ita aptae videntur. Denique in Sicania ante filiam ereptam munus extat maternum[28], in Atticis non extat.[29] Nam de Cereali papavere (fast. IV 531 sq.) praecipuis verbis opus est. Quibus de rebus Atticae fabulas, cum a reliqua errorum narratione abhorreant, oportere nonne assentiris emoveri? Sin autem praetermiseris, rerum series apparebit clara et inter se congruens.

Attamen cur inseruit Ovidius fastis? Narraverat enim (met. V 642—661) Lynci metamorphosin Triptolemique missionem. Eius priores sortes cum desint in eodem opere facile explicari potuerunt in fastis, quorum versus hi: (IV 559—560):

> »iste quidem mortalis *erit*, sed primus *arabit*
> et *seret* et culto praemia *tollet* humo.«

ipsum idem consilium produnt.[30] Nec reliquus Atticus (fast. IV 495—562) nec Triptolemi mythus (met. V 642—661), qui musae cantibus adhaeret tam ineptissime, pro nativo debet haberi apud Nasonem. Nam multo ante Triptolemum frugiferum omnes terrae (met. V 474—475) habuerunt frumenta ab irataque Cerere correpta (met. l. c.) redduntur a laeta (fast. 617—618)[31]. Ergo

[28]) Cf. met. V 474—475 sq.: »terras tamen increpat omnes ingratasque vocat nec frugum munere dignas . .« et fast. IV422: »est *culto* fertilis Henna *solo*«, praecipue denique fast. IV 617—618.

[29]) Cf. fast. IV 509—510: »ille domum *glandes* excussaque *mora* rubetis portat . .«, qui fructus *ante* Cererem homines alebant. cf. met. I 101 sq. Respice pag. 35; cf. Olck in encycl. real. de Paul.-Wissow. s. v. Eiche col. 2068.

[30]) Praeterea Atticorum αἴτια (fast. IV 504. 536) fastis videbantur aptissima.

[31]) Quae iis versibus continetur, iam cognoscis, cur non in metamorphosesin potuerint afferri, sed laeta Ceres ficta sit sola orationis imagine quamvis pulcherrima (met. V 570 sq.). Nam fruges reddere voluit poeta in eo carmine per Triptolemum ita ut eiusdem munus frumentum dandi misceretur cum munere reddendi (cf. met. V 646—647).

potest.[25] Igitur Cyana virgine aliena posita, cuius rei gravissima argumenta videntur deesse, Ovidius eius fabulam mutatoriam potest praebere antiquissima aetate ortam, cuius formam posteriore ratione constructam tradat Diodorus. At iis, qui etiam Cyanes transfigurationem Nasoni ipsi adscribunt, non prius fidem habeo quam gravissima argumenta attulerunt.

Quibus ad certiora progrediamur! Altera enim parte fabularum Cerealium continetur Δήμητρος πλανή quae vulgo vocatur (cf. Preller-Robert l. c. pag. 761). Cui ab aliis aliae fabulae adfictae sunt permultae, e quibus Ovidius non paucas tradidit. Si vero omnes ad ovum volumus reducere errores, quos narrat Naso, quid inter se cohaerens speciem prae se ferat unius originis, quid peregrino spurioque habitu seriem disturbet conexumque rerum, oportet iam quaerere.

Quos enim fasti praebent, si comprehenderis omnes errores (IV 451—574), facile concedes quattuor esse: Hennaeos enim (451—466) Siculos (467—494) Atticos (495—562) per reliquumque orbem (563—574). Inter eos celeberrimi ipsi qui ad Atticam pertinent totius conexui narrationis occurrunt. Etenim nihil invenitur, cur eo properet (fast. IV 499—502) Ceres rectissima[26] fere via. Neque enim Attica deae gratissima nec praeter ceteras terras bonam spem reperiundi filiam proponens refertur a poeta. Quibus adde dracones frenatos brevissumo post sumptas pinus geminas[27] (cf. fast.

[25]) Non licet hoc loco Claudianum (r. Pr. II 61) auxilio vocari. Nam eiusdem poetae r. Pr. III 245—253 nimias similitudines habet cum Ovidi met. V 425—437.

[26]) Nam Syrtes (fast. IV 499) ortae sunt Vergili versu (A. VII 302): »quid *Syrtes* aut *Scylla* mihi, quid vasta *Charybdis* profuit?«

[27]) Quas cum ceteris rebus Siculis ex eodem fonte profluxisse brevi post videbis.

IV 489—498), quae ei qui monstra regit, haud ita aptae videntur. Denique in Sicania ante filiam ereptam munus extat maternum[28], in Atticis non extat.[29] Nam de Cereali papavere (fast. IV 531 sq.) praecipuis verbis opus est. Quibus de rebus Atticae fabulas, cum a reliqua errorum narratione abhorreant, oportere nonne assentiris emoveri? Sin autem praetermiseris, rerum series apparebit clara et inter se congruens.

Attamen cur inseruit Ovidius fastis? Narraverat enim (met. V 642—661) Lynci metamorphosin Triptolemique missionem. Eius priores sortes cum desint in eodem opere facile explicari potuerunt in fastis, quorum versus hi: (IV 559—560):

> »iste quidem mortalis *erit*, sed primus *arabit*
> et *seret* et culto praemia *tollet* humo.«

ipsum idem consilium produnt.[30] Nec reliquus Atticus (fast. IV 495—562) nec Triptolemi mythus (met. V 642—661), qui musae cantibus adhaeret tam ineptissime, pro nativo debet haberi apud Nasonem. Nam multo ante Triptolemum frugiferum omnes terrae (met. V 474—475) habuerunt frumenta ab irataque Cerere correpta (met. l. c.) redduntur a laeta (fast. 617—618)[31]. Ergo

[28]) Cf. met. V 474—475 sq.: »terras tamen increpat omnes ingratasque vocat nec frugum munere dignas . .« et fast. IV 422: »est *culto* fertilis Henna *solo*«, praecipue denique fast. IV 617—618.

[29]) Cf. fast. IV 509—510: »ille domum *glandes* excussaque *mora* rubetis portat . .«, qui fructus *ante* Cererem homines alebant. cf. met. I 101 sq. Respice pag. 35; cf. Olck in encycl. real. de Paul.-Wissow. s. v. Eiche col. 2068.

[30]) Praeterea Atticorum αἴτια (fast. IV 504. 536) fastis videbantur aptissima.

[31]) Quae iis versibus continetur, iam cognoscis, cur non in metamorphosesin potuerint afferri, sed laeta Ceres ficta sit sola orationis imagine quamvis pulcherrima (met. V 570 sq.). Nam fruges reddere voluit poeta in eo carmine per Triptolemum ita ut eiusdem munus frumentum dandi misceretur cum munere reddendi (cf. met. V 646—647).

cum fastorum Atticis fabulis etiam Triptolemum tollere licet hoc loco.

Verum ex Ovidi verbis efficitur, ut fontem habuerit, ubi σίτου εὕρεσις ante rapinam ficta est. Idem firmant Diodorus (V 2, 4—5) et Cicero (l. c. 106); sed de erroribus Cereristripartitis (Atticos enim hoc loco omitti oportere modo probavimus) nihil tradunt. At ea res tanta perspicuitate videtur, qua quod praetermissa est, declaretur. Nam qui hominem quaerit amissum, quaerit primum raptus loco, deinde in eadem terra, deinde per ceteras. Diodorus autem plus quam conicis, praebet idonei cum scripsit haec:

»μετὰ δὲ τὴν τῆς Κόρης ἁρπαγὴν μυθολογοῦσι τὴν Δήμητραν μὴ δυναμένην ἀνευρεῖν τὴν θυγατέρα λαμπάδας ἐκ τῶν κατὰ τὴν Αἴτνην κρατήρων ἀναψαμένην ἐπελθεῖν ἐπὶ πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης . . . . «

E quibus sequitur ut Ceres aliquamdiu sine taedis frustra quaerat (cf. Ovidi fast. IV 451—488), deinde sumat faces. Quas adepta cum ἐπὶ πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης erret, errores sine lampadibus factos referendos esse ad Siciliam quis nescit? Ergo apud Diodorum πλανή intestina ab externa seiungitur taedis accensis ita ut in Ovidi fastorum IV 451—494 sq. Itaque et Diodorus et Ovidius referunt primum de erroribus Siculis, deinde de pinibus vivis sumptis, denique πλανὴν ἐπὶ πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης.

Neque aliunde additum esse videtur id quod tenetur fastorum IV 463—466. Iidem versus praebent praecipuam formam Cerealis fabulae,[32] e qua facile possunt fluxisse. Sed et probari non potest sues aliunde sumptos esse. At eius fabulae habitus

[32]) Serv. ad Verg. G. II 380. Bern. schol. ad Verg. G. II 380. Hyg. f. 277. Ovid. fast. 349—353. met. XV 112—113 et a.

optime comparatur cum ceteris, quae speciem ferunt fabularum ipsa in Sicilia natarum. Igitur ei in promptu videtur *conicere eandem originem Siculam, quae illis est.*

Si et hoc loco quaeris de fontis forma, sequi mihi videtur, ut poetae non uberrima verba, verum solae res datae sint aliunde, e verbis coloribusque Ovidianis Latinisque in errorum descriptione adhibitis.[33]

Ita Sicularum rerum sincera series potest reduci ad fontem haud verbis orationisque luminibus abundantem, qui Diodoro idem fere fuit. Jam restat quaerere et Atticae fabulae quibus natae sint e radicibus celeberrimae. Atticae enim vel potius Eleusinis Cereales mythos qui cognoverit omnes (Foerster l. c. pag. 29—63), facile videbit Ovidium (fast. IV 495—562) alia ex aliis sumpta praebere. Cum au-

[33]) Conferatur enim quaeso ad fast. IV 451—456: Verg. G. IV 460—461. A. VII 395. met. III 179 (met. V 153. III 528. 706. XI 17); ad 454 praec.: met. IV 589 (met. IV 553). Prop. II 24, 52; ad 455 praec.: Verg. A. II 487—488. IV 667—668. cf. met. V 510. — ad fast. IV 457—458: Verg. A. IV 300—303. met. II 200 (met. VI 37). met. VI 452. Verg. A IX 477. Prop. II 13c, 56. — ad fast. IV 459—460: Verg. A. VII 484. met. VI 637. — ad fast. IV 461: met. III 711. — ad fast. IV 463—464: Verg. A. XI 573. Verg. A. V 331—332. — Etiam ceterorum descriptio errorum fit a poeta, non rerum scriptore (cf. Peter l. c. ad IV 467). De Siculis nominibus testimonia afferuntur pauca: ad fast. IV 467: Plin. n. h. III 8, 89, qui idem praeponit Siciliae urbibus enumerandis Leontinos. — ad fast. IV 471: Verg. A. III 689. — ad fast. IV 479. 480: met. V 350—351 cf. R. Holland l. c. pag. 397).

Quae enumerat Ovidius loca flumina fontes montesque, sine ulla dubitatione sicuti diximus licentia poetica contexta sunt. Quorum si non pauca Cereri fuisse gratissima constat, falso conicitur (Peter, Fasten II³ ad 467) Naso ea ipsa de causa commotus, ut ea attulerit. Nam tota Sicilia est Cereris (Cic. l. c. 106) et ubi testes desunt, concludi licet Cereris cultus. Ergo cum Ovidius τὴν ἐν Σικελίᾳ πλανήν versibus exprimere vellet illis afferendis permultis, semper Cerealia eum oportebat sumere loca. E quibus cuiusque si quis Cererem indagat, non proficit in fontibus. Itaque non pertinet ea res ad huius libelli consilium.

Ad fast. IV 481—494 me contineo his afferendis versibus: ad 482: Cat. 65, 14. Prop. III 10, 10. am. II 14,30. am. III 12,32. — ad 487. 488: Prop. I 8, 23—24. — ad 489. 490: Verg. A. VI 272 (Peter l. c. ad 489). Verg. A. XI 824. — ad 491. 492.: met. V 352—353 (Holland l. c. pag. 397 et Peter l. c. ad 491). — Ad fast. IV 562—574 conferantur (Ciris 468—472?): ad 569: Hor. carm. III 24, 1—2. Hor. ep. I 6, 6. — ad 569—570: Catull. 45, 6—7. — ad 570 (cf. Peter.): met. II 237. — ad 571 (cf. Peter.): met. II 258. —

tem fons eiusdem modi non extet, intellegi oportet unde sint singula quomodoque se habeant apud Nasonem.

Opus quidem magnae operae, sed operae videtur pretium. Eleusiniarum enim fabularum, cum per multa saecula factae et fictae et mutatae sint, ne una quidem pars mansit omnia tempora constans integraque. Sed diversae sunt cum aliis tum nomine vicibusque Celei Metanirae filiarum filiorum. Ne nomen quidem loci fabularis ubique idem semper habetur (cf. Hyg. f. 147). At si vis quomodo singulae fabulae posterior e priore ortae sint, exquirere, ad exitum pervenies si *filiorum sorte muneribusque* usus eris argumenti loco ab aliis aliter fictis. In hymno enim Cereali εἰς Ὅμηρον ἀναφερομένῳ (cf. schol. ad Nic. Alex. 130 pag. 84 Schn.) Ceres conspicitur Demophoonti infanti cumulans beneficia (sc. curam et immortalitatem, quam retinet stulte pia mater) propter hospitium a Celeo Metaniraque acceptum. Quo in carmine quamquam nominatur Triptolemus, tamen videtur non praeter ceteros florere nobiles Eleusinis, quorum ipse est.

Eiusdem fabulae extat alia forma in Apollodori quae fertur bibl. I 31, ubi Demophoon iisdem fere vicibus utitur quibus in hymno. Sed Triptolemus qui fictus est Celei filius accipit pro fratre mortuo donum frumenti.

Quod multo distat a Ps-Homeri carmine. Potestne ex eodem ipso ortus esse mythus Apollodoreus? Potest quidem. Verum haudquaquam verisimile est. Nam mire adiectus est alter filius. Potuit enim qui eam fabulam fecit, frumentum ferendum ad Demophoontem facile deferre, cui Ceres summas spes tradit in hymno (v. 263—265). Mire alter frater ipse fit Triptolemus qui apud Ps-Homerum ordinis est

alterius. Mire ab eo frumentum expandi iubetur, quod in hymno ante Liberae raptum inventum per terrasque perlatum a dolorosa quidem matre aliquamdiu negatur, sed ab hilari restituitur. Heia, ubi est summa differentiae inter utramque narrationem! Post Ps-Homeri igitur et ante tempora Apollodori concludendum est fabulae Cerealis formam aliquam fuisse, in qua Demophoonte neglecto frumenti inventio ante Proserpinae raptum frumentique dilatatio per Triptolemum ficta est.

Cuius rei vetustissimi desunt testes, sed scripsit Pausanias (I 14,3) haec:

»Ὀρφέως δέ, οὐδὲ ταῦτα Ὀρφέως ἐμοὶ δοκεῖν ὄντα, Εὐβουλεῖ καὶ Τριπτολέμῳ Δυσαύλην πατέρα εἶναι, μηνύσασι δέ σφισι περὶ τῆς παιδὸς δοθῆναι παρὰ Δήμητρος σπεῖραι τοὺς καρπούς.«

De Eubuleo, cuius Dysaulisque affinitas orta videtur novissimis temporibus (cf. O. Kern Athen. Mitt. XVI pag. 3—19), hic non locus disserendi. At cetera quae Pausanias affert non pro novis debent haberi: Triptolemum dico Dysaulis (Baubonisque), quibuscum Celeus et Metanira comparantur,[34] filium, qui descensui interfuerit et propter loci indicium a Cerere auctus sit. Nam cum Dysaule et Baubone eundem initio solum sanguine sociatum esse testatur Clemens Alexandrinus (Cohort. pag. 6)[35]. Ubi ut Baubo cum Dysaule ita Dysaules cum Triptolemo necessitudine cohaeret. Sed additi sunt a patre ecclesiastico Eumolpus et Eubuleus hac voce: »ἔτι δέ« qua videatur significari utrumque longius distare a propinquis. Et re vera nec de Dysaule et Eumolpo cog-

[34]) De Triptolemi parentibus cf. F. Jacoby Marm. Par. 1904 pag. 64—65.

[35]) »ᾤκουν δὲ τηνικάδε τὴν Ἐλευσῖνα οἱ γηγενεῖς· ὀνόματα αὐτοῖς Βαυβὼ καὶ Δυσαύλης καὶ Τριπτόλεμος, ἔτι δὲ Εὔμολπός τε καὶ Εὐβουλεύς«. cf. Abel Orphica pag. 240 frg. 215.

natis alicubi traditum est neque affinitas, quae erat inter Eumolpum et Triptolemum, videtur fuisse ita notissima.[36] Ergo si Eubuleus cum Eumolpo comparatur et uterque separatur a propinquis voce: »ἔτι δέ«, Clementi quae ea scripsit, fabulae forma ante oculos videtur fuisse, ubi Triptolemus fuit solus Dysaulis filius, Eumolpus et Eubuleus fuerunt non filii (Aristid. Eleus. 4 K.). Alexandrini vero verba haud satis certa aliunde fulciuntur. Soli enim Triptolemo descensus nuntio haud procul ab Erineo loco Eleusinio (Paus. I 38,5), ubi Plutonem cum Proserpina devehi Attici firmant (Paus. l. c. Foerster l. c. pag. 43), templum est dedicatum (Paus. I 38,6).

Quae cum ita sint, duo iamiam genera extant eius fabulae: una qua Demophoon infans propter beneficium parentum, altera ubi Triptolemus iuvenis suum propter meritum adipiscitur a Cerere gloriam.

Eiusdem vero alterius mythi post ortum uterque commixtus esse videtur. Utriusque enim res ita confundebantur, ut Triptolemus loci index et semifer retineretur. At eum procreavit Celeus e Metanira, non e Baubone Dysaules. Praeterea Eleusinius rex fit particeps indici.[37]

Atque altera figura venit ad tempora nostra, ubi quae in hymno, quae a Ps-Orpheo scripta sunt, coaluerunt. Est, quam supra diximus, Apollodori, cuius in bibliotheca (I 29—33) utriusque fabulae argumenta magis aequa e parte permixtae sunt quam in priore quem modo adnotavimus mytho. Celeus enim apud Apollodorum duos filios procreavit natu minorem (βρέφος)

---

[36]) cf. Jacoby l. c.

[37]) Δημήτηρ παρὰ Κελεοῦ καὶ Τριπτολέμου τὸν ἠρπακότα μισθὸν αὐτοῖς ἀποδίδωσι τῆς μηνύσεως τὸν σῖτον . . .»schol. ad Arist. Panath. 105,11)

Demophoontem, maiorem (πρεσβύτερον) Triptolemum.[38] Jam propter hospitium a rege reginaque acceptum voluisse Deonem tribuere infanti immortalitatem, et iuvenem propter indicium donum sumpsisse traditum erat. At duorum munerum defuerunt duae causae, quas scriptores rettulerant, in bibliotheca. Nam filiae παρ' Ἑρμιονέων (Apd. I 29,4), non de Triptolemo mater comperit descensum. Itaque Demophoontem igne mortuum mythologus aliquis invenit prudentissimus. Etenim iam Triptolemo honor datus conspici potest pro Demophoontis dono ad irritum redacto, ut praemium fiat parentibus aliquod. Igitur neci infantis non subsunt aliae causae (cf. Foerster l. c. pag. 58), verum facile intellegitur studio colligandi priores fabulas.

Ceres vero ut apud Apollodorum donum in utrumque fratrem coniungens ita uno Triptolemo omnia spectatur concedens in Hygini narratione 147. Ubi Triptolemi indicium omitti oportet (cf. Foerster l. c. pag. 69). Nam frumenta sumit dilatanda, postquam vitam aeternum prohibuit pater nimia sollicitudine. Sed et Hygineae fabulae id subiectum esse videtur quod divum consilium incaute turbatum nece hominis alicuius debeat piari. Itaque conexu fabulari postulatur Eleusini, ὅς τάδ' ὄπωπεν, mors. Namque ne pueri vitam Volcanus finiat, impeditur munere postea ab eo explendo. Et eodem leto maxime pervincimur, ut Latinam fabulam (sc. Hygini) e Graeci (sc. Apollodori) coniciamus manasse, quantumcumque distant ceteris.

Ubi, quae fastis (IV 495—562) panduntur, inseris eidem seriei? Cui non statim respondi potest.

---

[38]) Cui cum sine temporis magno intervallo post mortuum fratrem dracones dentur, efficitur e scriptoris verbis ut iam tum pervenerit ad maturitatem ita ut Ps.-Orpheus docet.

Nam iidem versus non solum res continent nonnullas contortas, ne dicam, inter se discrepantes, verum addimento non carent oratoriorum ornamentorum uberrimo. Itaque cum, priusquam unde sint fabulae quaerimus, quaerendum esse videatur quae sint fabulae, Atticorum coronam quasi divellamus Ovidianam mythorumque corpus nudemus de vestimentis a poeta additis.

Primum spectes colores satis Latinos nonnullos, ne iam censeatur Nasonem eas fabulas decoravisse stilo fere Callimacheo. Nam plurimi fere versus reduci possunt praeter ipsas res ad exempla Latina.[39]

Qua re satis demonstratur verba esse vere Ovidiana et Callimacho magis Vergilium olere. At unde sunt fabularum Atticarum (fast. IV 495—562) argumenta nudissima? Jam nonnullae apparent difficultates. Primum enim quid sibi vult papaver herba Cerealis, cum alimenta mitia non sint? Ceres, quae Celeum subsecutus idem gustavit (fast. IV 533), non deprehenditur epulas dulcissimas postea repudians (547) nec minus cur infanti det papaver (547—548) morbo plane expulso. Namque cum caelesti venerint ab ore vigor viresque i. e. sanitas (540—542), qua tota domus laeta

[39]) Contuli enim ad fast. IV 495—496: Verg. A. VII 568. G. IV 418. fast. I 555—556. — ad 497: met. VII 220. — ad 499: Verg. A. VII 302. — ad 501.: Hor. c. I 7,2 (Peter.) — ad 505: Verg. G. II 294—295. — ad 509: met. I 105—106. — ad 510: met. VIII 634. 661. — ad 511: Tib. I 10,19 s. 24. — ad. 515: idem versus initium apud Verg. A. I 588 e. a. — ad 516: Tib. I 10,40. met. VIII 620. 627. — ad 517: met. III 275. VI 26. XIV 654 — ad 519: met. XI 580. — ad 521: Verg. A. IV 30. met. II 621 (Peter). — ad 526: met. VIII 620. — ad 531: met. VIII 627. — ad 541: met. VII 290. — ad 541. 542: Verg. A. IX 611. G. IV 418. — ad 544: met. VIII 626. - ad 545—46: epulae eaedem fere, quae met. VIII 654—668 (545=656. 546=654. 655. 667.). Cf. met. VIII 651. — ad 547: am. II 6.31 (Peter.) — ad 549: met. VII 184; cf. met. VII 185. — ad 550—551: met. VII 188—190. 248. 330.

est (fast. IV 543), somnum puer accipere potest et sine medicamentis. Nec supervacaneum solum, verum medici affirmant sano corpori venena esse periclo. Quid? Nonne spurium aliquid narrationi coniciemus inesse? Cibus autem a Cerere tristissima retrusus puerque divinis opibus auctus invenitur et alicubi. Atque etiam papaveris mythus potest esse vetustissimus. Sed papaveri additur αἴτιον (535). Itaque τοῦ αἰτίου causa papaver adiectum esse potest fastis, quorum consilio indulgeat tale addimentum. At si quae ad eam herbam Cerealem (Verg. G. I 212) pertinent, emovimus, nihil tardat carminis iter; ergo emovimus.

Ponitur vero homo aegrotus papavere eo, quod innexuit poeta »causae«, quam secum fert causa, soporifero (531). Quod cum aliunde sit, et pueri morbus fictus esse potest, ne claudicet tota narratio, praesertim cum Triptolemus nisi somno deficiente non videatur laborare (530: »nec capiat somnos.« 547: »causas somni«.). Pueri autem morbo emisso optime quadrat Nasonis narratio ceteris eius modi mythis, in quibus infans nuper partus a dea curatur, non aegrotus.

Itaque morbi puerilis origo est de »causa« illa aliunde iniecta (fast. IV 531—536). Verum etiam parvam filiam (511) frustra quaeres in aliis narrationibus Cerealibus. Ubi filias fuisse Celeo (aut Dysauli) repeti supervacaneum videtur, sed adultas fere. Inde non est filiola. Sed verisimile censemus eandem venisse de Tibulli I 10, 24. Cuius rei iustae desunt causae. At cum in utroque loco agatur de prisca aetate, nonne potest poeta posterior a priore culto (am. I 15, 27—28) cepisse colores? Simili vero modo apud Nasonem Celeus videtur senuisse. Neque enim alicubi vetus et priscus, ut aiunt, vir describitur nec dicitur unde senex genuerit duos liberos

parvos (Tib. I 10. met. VIII 621).

Quibus disputatis orbis, quem de Cerere praebent fasti, Cecropius simplicior evenisse videtur. Cuius nos recte demovisse addimenta firmatur schol. ad Nicand Ther. 484 (cf. Schneider Nic. pag. 39, 16—21), quod consentiat cum Nasone. Jam vides facile — ut iam pedem referam ad fabulas quas secum supra commemoravimus Ps-Homeri Ps-Orphei Apollodori Hygini — simillimum esse inter Hygineam Ovidianamque. Nam vices aguntur a Triptolemo eaedem apud utrumque. Consentiunt quoque inter se de loci nomine, quod non ante Cererem filiam quaerentem Eleusini datum esse videtur (cf. fast. IV 507. 508). Quamquam dissentiones esse hic illic haud negamus, sed eae temporis intervallo aliquo ortae possunt esse. Etenim Ovidi narratio sine dubio nata est aliquanto post Hygineam. Qua de causa? E prioribus mythis (sc. Apollodori) sumit Hyginus mortem hominis, qua Cereris animus concilietur, Ovidius omittit, quia longius distat a prioribus. Qua re si propius accedit ad Ps-Homeri carmen, caveas ne idem libri auxiliaris loco Ovidianae auctorem fabulae adhibuisse contendas (cf. Foerster pag. 78). Sed Nasonis versus (cf. IV 495—562) prae se ferunt originis speciem posterioris. Idem enim firmatur Celei Metaniraeque, quam Alexandrini qui dicuntur poetae finxerunt, paupertate[39] (Verg. Georg. I 165. Preller-Robert l. c. pag. 775).

Ita fastorum IV 495—562 intima pars nata est Alexandrina aetate post Hyginei mythi partum. Adhaerent quattuor fabellae: saxi tristis enim papaveris Lynci Ascalabi. Inter eas πέτρα Ἀγέλαστος (fast. IV 503—

[39]) Qui fortasse paupertatem non invenerunt sed sumpserunt de veteribus fabulis (Foerster pag. 47—48). At singula non causis fulciuntur.

504), quam Graeci vocant, celeberrima (cf. Preller-Robert l. c. pag. 789) omni dubitatione dempta addi licet illi quem modo statuimus principali Atticorum circulo. Namque priori parti eiusdem fabularis seriei,[40] cuius calcem Naso obtinet, legitur iam adiuncta: Apollodori dico bibliothecae (I 30), qui Cerealia sicut Naso (fast. IV 503) incipit narrare accuratissime. Jam hic »causam«, quae lapidi subest lugenti, suis verbis vides expressam.

Idem non dici potest de papavere, si quae supra explicavimus de ea herba Cereali, haud falso se habent. In fastorum enim IV 531—536 ritui quem ostendit v. 536:

«tempus habent mystae sidera visa cibi.»

supponitur id quod ipsa Deo penuriae sole occidente finem dedit papavere assumpto. Quae »causa« dividitur, si quid video, in ieiunium a Cerere noctis principio solutum et papaver eundem in usum adhibitum. Papaver, a quo initium capiam, e vetustissimis temporibus cum aristis Cereri adtribuitur quo summa fertilitas ostendatur ab ea sicuti a Venere (Paus. II 10,4) praebita.[41] Itaque cum τὴν Δήμητράν φησι μὴ μόνον ἀστάχυς, ἀλλὰ καὶ μήκωνας ἔχειν (schol. ad Theocr. VII 157 Ahr. II pag. 285), nonnullae fabulae extiterunt quae erant de Cerere papavereque.[42] Ovidianae autem herbae (»oblito palato«! fast. IV 533) nec fons extat nec papaveris celeberrima et antiquissima illa cum νηστείᾳ coniuncti. Sed iidem versus a doctis cum tribus reliquiis carminum Callimachi [43] com-

[40]) Apud Hyginum (l. c.) saxi memoria fabulae consilio vetita potest esse facile.

[41]) cf. Preller-Robert l. c. pag. 796. Wilh. Mannhardt, Mythol. Forschg. pag. 235. Cuius rei testis videtur perantiquus vas Boeoticum V fere s. fictum. cf. Sam Wide Athen. Mittg. 26 pag. 143—156 cum tab. 8.

[42]) cf. Etym. Magn. s. v. Μηκώνη. Serv. ad Verg. I 78. I 212. schol. Bern. ad Verg. I 78. I 212. Mannhardt l. c. pag. 235 adn. 5. Foerster l. c. pag. 62.

[43]) cf. Otto Schneider Callimach. II pag. 107; incertius pag. 609. Foerster l. c. pag. 294. Pressler Quaestionum Ovidianarum capita duo. Diss. Hal. 1903 pag. 20. — cf. Callim. h. VI 7—12.

parati sunt nec nos non conicimus, si volumus conicere — nam fragmenta multo minus affirmant quam libri recentiorum —, originem huic fabulae esse Callimacheam. Sed certum videtur eandem a ceteris Atticis, quae sunt apud Nasonem, plane abhorrere.

Nec vero Triptolemi fabulae (met. V 642—661), quae Atticis apposita est, plane dignoscitur, cum testibus careas, prima origo. Nam Servius (ad Verg. A I 323) et Hyginus fab. 259 hauserunt e Nasonis versibus (cf. Ehwald l. c. ad V 642—661). Sin autem licet de verbis poetae paucis aliquid depromere, Triptolemi patria leguntur Athenae.[44] At ut apud Apollodorum et Hyginum ita in fastis Eleusis (fast. IV 507) nominatur. Cum autem Triptolemus plane Atheniensis natus sit ex Eleusinio (cf. Preller-Robert pag. 770 sq.), concludi potest Lynci mutatoriam fabulam esse fictam post Triptolemi mythum frumenta ferentis. Quamquam ea quoque fabula post Athenas cum Eleusine societate coniunctas facta videtur. Tamen semifer primo in eadem originem retinuit Eleusiniam. Ita Lynci metamorphosis et Triptolemi missio frumentaria inter se distant aliquo spatio. Triptolemi vero fabula cum aliis Cerealibus colligata est apud Apollodorum et Hyginum nec separari potest Nasonis ab Attico cyclo principali. Sed Lyncus utrum ab Ovidio aliunde an ex eodem Atticorum fonte, ubi aptissime inter Atheniensis itinera talis casus mentio potuit fieri, sumptus sit, quis discernet? Plura de ea re alii coniciant.

Deinceps videndum est, quomodo se habeat Ascalabi fabula[45] in Ovidiano Cerealium cyclo quoque sublata

[44]) Met. V 645: »Tritonida in urbem.« 652. »patria est clarae mihi, dixit, Athenae.« 661: »Mopsopium iuvenem.«

[45]) Cf. Plaehn De Nicandro aliisque poetis Graecis ab Ovidio in metamorphosesin conscribendis adhibitis. Diss. Hal. 1882 pag. 30—31. — Eitrem Phil. 59 (1900) pag. 58. Bethe Herm. 39 (1904) pag. 9. Laudien l. c. (1905) pag. 28 sq. cf. etiam Ehwald ad V 446—461.

sit de fonte. Quam Naso extra litora Sicaniae deposuit. Ei aptissime congruit quod Nicander poeta Ascalabi metamorphosin ἐν τῇ Ἀττικῇ finxit (Ant. Lib. 24). Magnae vero praeter ea sunt similitudines[46] inter utriusque eandem fabulam. Ergo et Ovidi met. V 446—461 cum fluxerit de Nicandro habendum est in Atticorum numero.

Quod qua re obscuravit poeta? Cuius quaestionis patet nobis exitus, postquam didicimus cum ceteris Ovidi Atticis mythis coniunctam haberi Ascalabi fabulam. In eo enim cyclo locum principalem obtinent Eleusiniae de Celeo et Metanira et Triptolemo fabellae. Quo accessit de Nicandro — sive ipso a poeta sive per mythographum quendam sicuti nobis — Nasoni nova fabula, quae celebritati narrationum quae sunt in fast. IV 495—562 nonnullis neque exiguis reclamabat. Namque apud Graecum nihil de saxo tristi ubi Ceres primum (fast. IV 503. πρῶτον Apd.) sedet, nihil de Celeo qui eam inde abducit, nihil de cibo (aut potione) quo dea primum ante Celei domum (aut domo) famem (aut sitim) solvit. Itaque quod Antoninus tradit (cap. 24), plane obest notissimis fastorum rebus. Nec vero Stellionis metamorphosis fastis inseri potest, cum Deo primum a Celeo excepta, deinde statim (fast. IV 561) ex Attica evecta est. Igitur Nicandri verba nihil habent cum fastorum.

Quam discrepantiam Ovidius, quem offendisse videtur, sustulit facile Atticae Mismae Ascalabi omissis nominibus.[47] Quamquam et aliis a se distat Ovidi utraque narratio. At aut diversitates sunt haud ita magnae (cf. met. V 385—391. fast. IV 427—430.) aut

G. Knaack Analecta Alexandrino-Romana (1880) pag. 55. Foerster l. c. pag. 82. Holland l. c. pag. 398. B. Pressler l. c. pag. 16-17.

[46]) Similibus non possunt obstare quae affert Eitrem pag. 58 neque quae profert R. Holland. pag. 398.

[47]) cf. etiam Plaehn l. c. p. 30.

metamorphosesin adicitur altera versio celeberrima (cf. met. V 465—508. fast. IV 575—584). Sed hoc loco si Naso narrationem Nicandream largis verbis omnibusque nominibus additis expressisset ignota fabula notissimos summisque ornamentis depictos fastorum Cereales mythos negasset. Et ea pravitas potuit facile vitari.

Jam latius patescunt nobis Cereris itinera; ita iam finis sit volvendis. Etenim de Nasonis poematibus existumo constare Cybeleiae vias, quas per Trinacida peregit ceterasque terras, respicere ad verba Diodori, qui res Siculas tradit. Quibus inspersae sunt Attici mythi aliunde parti, quorum orbi haerent quattuor fabellae hae ex eadem hae ex humo missae peregrina.

Brevius quam Liberae descensum nuptialem viasque matris speculemur reliquas fabulas, quarum fontes haud ita fuse fluant. Namque dea errans, postquam progeniei ereptae plane nescia ab Aurora per terras regionesque perlata est ad Hesperum, Trinacriam repetit. Ubi zona in Cyanes aqua conspecta comperit omnia per Arethusam. Eius nymphae videtur fabula indicatoria esse origine Sicula, cuius fictionem Ovidio falso tribui censemus, quamquam eiusdem virginis metamorphosis in met. V 572—641[48] non est vernacula. Neque enim quicquam habeo cur aliunde derivem, quae fast. IV 423—424 et met. V 487—508 memoriae tradunt.[49]

Sed fasti proditorem habent Solem, quem habuerunt Attici (hymn. 62—89). Igitur et hoc loco Atticam particulam noscis insertam.

---

[48]) Qua de re hoc in libello non tractatur.

[49]) Cf. praec. R. Holland l. c. pag. 399. Arethusam Cereri ignotissimam (met. V 493—505) ipse fingere debuit Naso, quod notissima non potuit referre Cereri sortem (cf. Pressler l. c. pag. 12—13).

De qua quid iudicas apud Nasonem extante? Cum reliquo Attico cyclo (f. IV 495—562) non sociari licet id indicium. Nam exploratum habemus fast. IV 563—574 evenisse de Diodoreo hoc: »ἐπὶ πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης« ita ut Actaeus circulus (fast IV 495—562) aquis e Siculo fonte eiectis (fast. IV 461—494. fast. IV 563—574) quasi circumdatus sit. Ergo conexus inter fast. IV 495—562 et fast. IV 575—584 non est. Atque idem fulcitur altera causa qua negari oporteat utramque Atticam partem inter se colligatam (f. IV 495—584) uno volumine promptam esse de Attico fonte aliquo. Apparet enim satisque constat ordo rerum fabularium qui idem est in carmine

metamorphoseon:		*fastorum:*
raptus (V 437)	et	raptus (IV 450)
errores (V 463)		errores (IV 494)
(Attica)		(Attica)
indicium (V 508)		indicium (IV 584)

At Atticae fabellae enumerari solent plane aliter:

raptus	(hy. 39)	(Apd. I 29)
errores	(„ 50)	(„ „ „)
indicium	(„ 89)	(„ „ „)
Attica	(„ 96)	(„ „ 30 sq.)

Quid iam facilius est quam verum conicere? Cernis enim fastos eodem quo metamorphoseis consilio ordinatas proprio. Pars vero aliqua eiusdem seriei quae est de indicio raptoris continet Atticas res. Ergo in hac fabularum catena iterum spurium membrum quod venit de Atticis, — sicuti modo inter errores (fast. IV 495—562) — innectum est.

Jam de ceteris cycli Cerealis fabulis, quibus tractatur Libera a matre recuperata, fontes plane desunt. Idem quidem est in Ps-Homeri prooemio.[50] Sed eius argumentum tanto abest ab hoc carmine ut non possit inde fluxisse. Maxime enim differt inter se uterque poeta cum de virginis reditu, cuius apud Romanum suis verbis mentio fit nulla, tum de fabulae locis. Nam apud priorem res fictae sunt et in Attica et in Olympo et in Tartaro, posterior Deonem viabus exactis simplicius retinet in caelo, unde Mercurius mittitur ad inferos, quo redit relaturus ea quae ad Liberam pertinent.[51] Itaque de fonte qui subest met. V 509—571 et fast. IV 585—618 nihil certi contenditur nisi quod divortit ab Atticis narrationibus. Conici autem licet eundem Nasonis epilogum, quo finiuntur Cereris Proserpinaeque mythi, cum artissime cohaereat cum prioribus fabulis ad Siculas radices reductis (cf. fast. IV 617. 618 cum met. V 474—486), indidem ortum esse.

[50]) Quod de hymno idem dici oportet de Apollodori bibl. I 33.

[51]) Ita legis in fast. IV 605—618. Quos versus qui noscit, coniciet eodem modo etiam in met. V 533—550 rerum seriem esse unam et simplicem. Quo concesso vocem hanc: »educere« (V 533) explebit subiecto Mercurio (fast. IV 605). Sed poeta hoc loco obscure est, cum omittit subiectum, data opera. Nam ante oculos habere videtur vetustiorem fabulam (Apd. bibl. I 33), ubi Ceres ipsa ficta est inter inferos Ascalaphum multans. Quam poeta, qui rerum unitatem servaret, ita mutavit ut mutaret Proserpina, cuius minus videtur quam matris. Ergo Graeci fabula Latini carminis genuino ordini aptata demonstratur et versus obscuritas et origo fabulae aliena. Utrum et ea sit de Atticis (Apd. bibl. I 33) an aliunde, nescio. — Çum uterque granorum numerus (met. V 537. f. IV 607) sit apud veteres sanctus, Ovidium attulisse opinor non errore, sed fonte adductum.

Ut fontinales res magis fiant dilucidae, omnes, quantum potui, hac imagine contuli. In qua Cerealis narrationis totius partes sunt distractae

	Siculae	*alienaequae:*	
I. prooemium	munera		
II. raptus	Ditis amor		
	Henna	Nysa	
	raptus locus	vallis	
	florilegium (violae)	crocus	narcissus
	raptus et descensus		
	Cyane		
III. errores	errores. sues	Atticus cyclus	
	errores in Sicilia	saxum triste	
	faces sumptae	papaver	
		Lyncus	
	errores in toto orbe	Ascalabus	
IV. indicium	Arethusa	Sol	
V. recuperatio	recuperatio	Ascalaphus	

Qua adiutus tabula complector uno verbo quae statuimus omnia de Cerealium fonte. Quorum e quinque partibus tres ad Diodorum spectant (sc. I II III). Ceteras scriptor Siculus non aliter narrat, sed plane neglegit. Nam nihil vult tradere nisi raptum Liberae (cf. bibl. V 3, 1. V 3, 2. V 4, 2. V 5, 1), cui addit Cereris errores. Itaque Proserpinae raptae indicio et recuperationi eadem origo potuit cum causis conici solum, non firmari. Attamen similitudo inter Nasonem et Diodorum patet dilucide.

Ergo uterque evenit ex eodem fonte ultimo. Quem mihi persuasum est encheiridium fuisse mythologicum quod et aliis fortasse et rebus Cerealibus abundaverit. Ea enim coniectura ad verisimile fere progreditur eo quod Diodoro in conscribendis fabulis compendia eius modi fuisse satis constat. Et de Ovidio probant sua verba, quae multa operimus et in metamorphoseon et fastorum magnis partibus, fontem adhibitum dedisse res, non orationem.

Eam epitomen continuisse censeo cycli Siculi, ut ita dicam, quinque partes quibus quasi trabibus fulta est tota narratio. Ad singulas videntur complures discrepantiae (sc. Nysa vallis narcissus Sol Ascalaphus) additae sicut solent addere Graecorum mythographi. Atque etiam Atticas res, quamquam abalienant a Siculis, sive omnes sive nonnullas fuisse credimus ita inter fontis ceras ut sunt inter Diodori bibl. V cap. 4. Sed de singulorum natu causae desiderantur.

Sed unde venit encheiridio nudissimis verbis conscripto talis narratio vere pulchra inter seque congruens, qua delectat nos Ovidius? Cui respondetur prooemio illo a Nasone Siculoque allato et amore Plutonio poetica largitudine depicta (met. V 362—384). Iis demonstratur compendi res sumptas esse de epico poemate aliquo sive de hymno sive de alio carmine Cereali, quorum numerus fuit haud exiguus (Diod. bibl. V 5,1. Arist. Eleus. I 3 Keil). In quo Liberae raptus uberrime denarratus videtur fuisse, quae Cerealis pars ab Atticis neglecta Siculis fabulis imprimis tractatur. Etenim Diodorus loquitur (V 5,1) solo de raptu, cum affert veteres poetas, et Claudiani carmen praeterit plane silentio errores et indicium et recuperationem.

Igitur eaedem, quas Attici poetae vehementer exaraverant, in Siculorum fabulis videntur breviores fuisse. Verum quod quamvis coartissimae in Ovidiano compendio fabulari fuerunt, ostenditur in metamorphosesin earum ordine rerum proprio formaque plane ab Atticis aliena Tale fuisse videtur Cereale carmen, tale encheiridium mythologicum, de quo hausit Diodorus magis res ratione dilucidas, Ovidius magis poeticas pulcherrimasque.

Quod poema quando factum sit — ? Nimium quaeris. At amor Plutonius depictus et annus ex aequo inter Cererem et Ditem divisus (cf. Foerster l. c. pag. 46) spectare videntur ad Alexandrinam aetatem.

Sed dic quis fecerit! Nescio mehercle. Sed fecit non Callimachus. Cui ipsum carminis initium obest, qui Siciliae supposuerit Enceladum pro Typhone (schol. Pind. O. IV 111c.). Ceterum papaver, quod maxime, ne dicam, solum redolet Battiadam, apud Ovidium (fast. IV 531—536) alienum est.

Vita

Natus sum Paulus-Fridericus Alms mens. Mart. die 27. a. 1883 Suerini (Schwerin in Mecklenburg) patre Almo et Alma matre, Maria de gente Pfannenstiel, quorum adhuc superstitum fruor amore. Fidem profiteor evangelicam. Frequentavi gymnasium q. d. Fridericianum in urbe natali per novem annos. Vere enim a. 1902 maturitatis adeptus testimonium Monachiam petivi, ubi ter senas lunas philologis interfui. Unde Rostochii ad hunc diem usque incubui utriusque linguae sermonibus et historiae.

Docuerunt me viri doctissimi: Christ †, O. Crusius, Drerup, Hertling, J. Mueller, Poehlmann, Weyman, Woelfflin Monacenses; H. Bloch, Erhardt, O. Kern, G. Koerte (nunc Romanus), Kolbe, Lueders, O. Plasberg, Schirrmacher †, Watzinger Rostochienses.

Proseminariorum exercitationum seminariorum philologorum historicorumque ut socius essem, veniam dederunt Bloch, Christ, Kern, Koerte, Mueller, Plasberg, Weyman, Woelfflin.

Quibus praeceptoribus omnibus gratia sit quam maxuma, imprimis Hermanno Bloch Ottoni Plasberg nec non Ottoni Kern, cuius summo consilio exquisitaque doctrina iuvantibus hae cerae prodierunt in lucem.

16

DUE DATE

OFFIC. AUG 0 8 1988			
	201-6503		Printed in USA